



Specimen historico-dogmaticum, quo Anselmi et Calvini placita de hominum per Christum a peccato redemtione inter se conferuntur

<https://hdl.handle.net/1874/320229>

SPECIMEN HISTORICO-DOGOMATICUM,


QUO

ANSELMI ET CALVINI

PLACITA DE

HOMINUM PER CHRISTUM A PECCATO REDEMTIONE

INTER SE CONFERUNTUR.



17

SPECIMEN HISTORICO-DOGOMATICUM,
QUO
ANSELMI ET CALVINI
PLACITA DE
HOMINUM PER CHRISTUM A PECCATO REDEMPTIONE
INTER SE CONFERUNTUR,
QUOD,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI
CORNELII GUILIELMI OPZOOMER,
Phil. Theor. Mag., Litt. Hum. et Jur. Utr. Doct., Phil. Theor. Prof.,
NEC NON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU
ET
NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,
PRO GRADU DOCTORATUS
SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET
FREDERICUS PETRUS JACOBUS SIBMACHER ZIJNNEN,


ZALT-BOEMELIENSIS,

Phil. Theor. Mag., Litt. Hum. Doct.

D. XXV M. MARTII, A. MDCCCLII, HORA I.

TYPIS MANDAVIT S. E. VAN NOOTEN,
SCHOONHOVIAE.

MDCCCLII.



MATRI CARISSIMAE

ET

PATRIS OPTIMI

PIIS MANIBUS

SACRUM.

« Es ist mit der dogmatischen Consequenz eine eigene Sache. Streng genommen soll man freilich immer consequent sein; und wenn die Vordersätze eines Systems richtig sind, so müssen es auch die Schluszsätze sein, welche aus den Vordersätzen abgeleitet werden. Allein es gilt diesz denn doch nur da, wo man die Sätze in ihrer ganzen Schärfe fassen kan, wo ein Satz nichts mehr und nichts weniger aussagt als was er sagen soll, wo er gleichsam eine mathematische Grösze ist, eine Zahl. So ist es aber nicht immer mit den religiösen Wahrheiten.”

HAGENBACH.

Disputationem, qua summos in Theologia honores petrem, scripturus argumentum quaesivi, quod a nostri aevi studiis non nimis abhorreret, et quo meis ipse studiis omnino prodessem. Haec cogitanti valde mihi arrisit propositum comparandi Ecclesiae Reformatae, praesertim Nederlandicae, placita de hominum per Christum a peccato redemptione cum Anselmi de eodem argumento doctrina. Mox vero, re accuratius perpensa, animadvertis ad hoc argumentum recte tractandum haud leves dirimendas esse difficultates; et Horatiani moniti memor:

„Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
Viribus, et versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.”

*satis me facturum esse opinatus sum, si Anselmi et
Calvini placita de hominum per Christum a peccato re-*

*demtione, institutâ disquisitione historico-dogmaticâ secum
invicem compararem. Quod num rite peregerim, vide-
ant viri docti!*

*Jam ut omnibus professoribus, quorum lectionibus et
publicis et privatis per cursum academicum adesse mihi
licuit, publice gratum profitear animum, et me impellit
consuetudo et incitat recordatio eorum, quae viris illis
clarissimis me debere gratus agnosco. Singulatim vero
nominare mihi liceat illos viros, quibus in Theologia
praeceptoribus uti mihi contigit.*

*Per plurimos annos, viri clarissimi, aestumatissimi
Bouman et Vinke! in tradendis variis disciplinis theolo-
gicis optime de me meriti estis, optimis me instituistis
monitis et praeceptis, eximiam semper mihi ostendistis
benevolentiam. Vestrorum in me meritorum memoriam
dies nunquam delebit: at vos in posterum quoque vestris
consiliis et admonitionibus mihi adesse velitis!*

*Nec minus tua erga me praedicanda sunt merita, vir
clarissime Roijards! Promotor aestumatissime! Ab eo
inde tempore, quo theologicae disciplinae operam dare
coepi, usque ad hunc diem semper studia mea adjuvare
paratus eras, neque mihi unquam defuisti tuis consiliis
tuoque auxilio. Ultimis hisce praesertim diebus singu-
larem tuam expertus sum humanitatem: tuam bibliio-
thecam lubentissime mihi aperuisti, mihique tuae eru-
ditionis lumen desideranti semper adfuisti praeceptis,
admonitionibus. Accipe, praeceptor dilectissime! gratum*

*discipuli animum, et tuis me consiliis et admonitionibus
dignari nunquam desinas! Ut D. O. M. te collegasque
tuos clarissimos diu servet salvos, sospites, ex intimo
animo precor.*

*Vos denique, sodales amicissimi! per huncce libellum
salvere jubeo. Locorum distantia consuetudini quotidiana
cum plurimis vestrum finem jam imposuit, integrum vero
semper maneat arctius amicitiae vinculum. Vos igitur
vivite felices, meique memores estote! —*

CONSPECTUS.

	Pag.
INTRODUCTIO.	1.
PARS PRIOR. De peccato ejusque incommodis a Deo tollendis.	
CAPUT PRIMUM. Anselmi et Calvini sententiae de peccato ejusque incommodis.	21.
CAPUT SECUNDUM. Anselmi et Calvini sententia de causa, ob quam Deus occurrat peccato ejusque incommodis.	39.
CAPUT TERTIUM. Anselmi et Calvini sententiae de modo, quo Deus occurrat peccato ejus- que incommodis.	
§ I. Quid, Anselmo et Calvinio judicibus, agendum sit ad peccatum ejusque incommoda tollenda.	54.
§ II. Quod, Anselmo et Calvinio docentibus, nemo praeter Θεάνθραπον ea tollere possit incomoda.	62.
PARS ALTERA. De peccato ejusque incommodis per Chris- tum sublati.	
CAPUT PRIUS. De Christi persona.	72.
§ I. Quibusnam argumentis Calvinus probet Christum verum fuisse Deum et verum hominem. .	73.
§ II. Quid statuant Anselmus et Calvinus de vinculo inter utramque Christi naturam. .	80.

	Pag.
§ III. Anselmi placitum de Verbo cum homine in Christo conjuncto.	83.
§ IV. Anselmi et Calvinis sententiae de Christo non peccatore.	85.
§ V. Anselmi placitum de Christo, morti non subiecto.	88.
§ VI. Anselmi placitum de Christo, nostrorum incommodorum participe, non tamen ignorantie.	90.
§ VII. Calvinis doctrina de Christo, nostro propheta, rege et sacerdote.	92.
CAPUT ALTERUM. De Christi opere.	98.
§ I. Quid doceant Anselmus et Calvinus de Christi opere pro peccatis satisfacente.	99.
§ II. Quid doceat Calvinus de Christi opere, homines in gratiam Dei restituente.	118.
§ III. Quomodo ex Anselmi et Calvinis sententia redemptio per Christum pertineat quoque ad illos, qui vixerunt ante Christum natum.	124.
§ IV. Anselmi et Calvinis doctrina de Christi meritis.	131.
CONCLUSIO.	138.

CORRIGENDA.

Pag.	14, reg.	21 hoc	<i>lege</i> hac
»	»	22 extra eam quam	» quam extra eam
»	18, »	12 repugnare	» repugnare,
»	31, »	13 collective pro	» i. e.
»	32, »	3 sensuisse	» sensisse
»	37, »	14 Quum	» Quem
»	68, »	29 obversatur	» adversatur
»	71, »	1 tri-	» utri-
»	72, »	2 Anselmi et Calvini sententiae de	» de
»	79, »	16 assumisse	» assumsisse
»	82, »	26 fierit	» fieret
»	86, »	21 est Pauli	» Pauli
»	99, »	8 esse donum indebitum Deo	» <i>omnium peccatis praevalere</i>
»	109, »	21 coneedatur	» concedatur
»	128, »	3 domonstratione	» demonstratione
»	144, »	12 justitiae	» justitiae
»	»	20 convenia cotnsilia	» conveniat consilia
»	»	27 landat	» laudat

C. C. B. L.

INTRODUCTIO.

Peculiarem temporum rationem sua vi in singulos homines minime carere, experientia docet idemque historia satis testatur. Non omnes vero eodem modo sui temporis efficacitati subesse solent, sed maximos viros, illos dico, qui ingenii animique virtutibus prae aliis pollentes nobili fama inclaruerunt, sui temporis notam in primis referre, recte judicatum est.

Quacum universe valeant, haud mirum sane videbitur, si idem illud affirmamus de duumviris, quorum sententiae de argomento gravissimo in hoc specimine nobis sunt exponendae et secum invicem conferendae: Anselmum dico, clarissimum philosophum scholasticum et Calvinum, rerum sacrarum instauratorem doctissimum. Quod ut rite fiat, antequam ad argumentum nostrum de industria tractandum accedamus, brevi inquiramus necesse est diversam temporum, quibus uterque

vixit rationem, quo facto deinceps per totam disquisitionem discriminem, quod in eorum doctrina adesse patebit, quantum fieri debet, e diversis temporum studiis illustrabimus.

Anselmus anno 1034 Aostae in Italia natus est, ibique primam institutionem a monachis accepit (1). Juvenili auctate in Normandia adiit scholam Beccensem, ut institutione Lanfranci, Scholasticorum antesignani, frueretur. Praestantissimo se commendans ingenio cum magistro familiari consuetudine fuit devinctus, et post aliquot annos in eodem coenobio Beccensi Prior, deinde Abbas creatus est. Postea in Angliam profectus archiepiscopatum Cantuariensem suscepit, ibique mortuus est anno 1109.

Quo vixit tempore disciplinae theologicae in gentibus neo-europaeis excoli primum cooperant. Primis aerae nostrae seculis religionem Christianam acerrime defenderant viri eruditii contra Ethnicorum Judaeorumque objectiones; postea ecclesiae catholicae doctrina et magis exculta erat variis in ipsa ecclesia haeresibus, et paullatim constituta Conciliorum et Synodorum decretis. Ceterum

(1) Anselmi vitam descripsit Eadmerus, ejus aequalis et discipulus. Conf. porro: G. R. Veder, *de Anselmo Cantuariensi*, Lugd. Bat. 1832 et G. F. Franck, *Anselm von Canterbury*, Tübingen 1842.

Theologi magis id egerant, ut sententias Patrum coligerent iisque ecclesiae doctrinam confirmarent et explicarent, quam ut suo marte res divinas accuratius indagarent.

Nec tali studio magnopere favebat temporum ratio. Plurimae Europae recentioris gentes ignorantiae et superstitioni antea erant deditae, easque etiamnunc barbaras plane et incultas nondum illustraverat doctrinarum lumen. Id praesertim in monasteriis latebat. In scholis claustralibus, ibi conditis, tradebantur trivium et quadrivium (grammatica, rhetorica, dialectica; arithmetic, musica, geometria et astronomia). Prae certeris in artem dialecticam incumbebant discipuli, quâ rite excultâ via ad honorem et munera patebat. In illa discenda praesertim utebantur Aristotelis operibus logicis, quorum aderat versio latina.

Vix aliter fieri potuit, quin dialecticis hisce exercitationibus aleretur philosophandi studium, et ingenium humanum, quod quomagis excultum est, eo magis aliorum auctoritati resistit et ipsum rerum contextum intelligere studet, excolere cooperit suo modo, i. e. dialectice, ecclesiae doctrinam constitutam. Medio seculo XI apud Berengarium et Lanfrancum, Anselmi magistrum, vestigia inveniuntur dialecticae de dogmatibus argumentationis (1).

Ne vero putas, clericos philosophantes ecclesiae auctoritatem rejecisse ejusque dogmata ratiocinando op-

(1) Franck, *l. l.* p. 89.

pugnasse. Prohibebat illud ecclesiae auctoritas, quae hac aetate praesertim in clericis magnam vim exercere coepit. Hildebrandus enim, ab anno inde 1054 paparum administer, postea vero ab anno 1073 ipse papalem sedem tenens (*Gregorius VII*), ecclesiam a potestate imperatorum civili et politica liberare ac theocratiam papalem constituere conatus est. Sustulit *investituram* clericorum, quā sublatā eorum lectio unice ab ecclesia peperdit. Maxime vero clericorum instituendo *coelibatu* ecclesiae potestatem firmissimo fulsit fundamento. Clerici enim, antea familiae vinculo cum vita domestica et politica conjuncti, coelibes prorsus imperio papali subjecti fuerunt, nec quidquam iis curandum remansit praeter ecclesiae commodum.

Talis rerum conditio, qua et philosophandi studium exercitationes dialecticae alebant, et ecclesiae auctoritas prohibebat ne quis a doctrina constituta recederet, originem dedit *philosophiae scholasticae* (1). Haec finem sibi proposuit, ut veritatem doctrinae ecclesiae aprioris-

(1) De nominis origine conf. locos citatos apud Veder *l. l.* p. 93 et Tenneman, *Gesch. der Phil.* VIII p. 5 sq. Hujus sic se habet philosophiae scholasticae definitio (*l. l.* p. 28): «Der Geist der scholastischen Philosophie ist nichts anders, als das ohne Prüfung der Kräfte des menschlichen Geistes unternommene Streben der Vernunft, eine Erkenntnisz des Uebersinnlichen, der Dinge an sich zu Stande zu bringen, und durch den dialektischen Gebrauch der Vernunft, besonders aber der Aristotelischen und Neuplatonischen Philosophie, Principe der wissenschaftlichen Erkenntnisz der in der Offenbarung und der ihr gleich geachteten Kirchenlehre enthaltenen Wahrheiten zu entdecken.»

tica q. d. argumentandi ratione philosophice demonstraret, et dogmata, quorum fidem jubebat ecclesiae auctoritas, humano intellectui adaptaret. Quod enim jam contenderant Augustinus et Erigena (1): *veram philosophiam esse veram religionem*, principium habendum est philosophiae scholasticae. Id vero ita interpretati sunt scholastici, ut apud eos disquisitio philosopha, indagationis instituendae eventu praefinito, nonnisi formalis esse potuerit, ipsaque philosophia theologiae extiterit ancilla.

Neque aliter de philosophiae cum theologia vinculo judicat Anselmus. — Ecclesiae doctrinam ab omni dubio remotam censet, et philosophia, quae ecclesiae dogmata oppugnet, quam maxime ab ejus abhorret ingenio. „Nullus (inquit) Christianus debet disputare, quomodo quod catholica ecclesia corde credit et ore confitetur non sit, sed semper eandem fidem indubitanter tenendo, amando et secundum illam vivendo, humiliiter quantum potest quaerere rationem quomodo sit. Si potest intelligere Deo gratias agat: si non potest, non immittat cornua ad ventilandum, sed submittat caput ad venerandum. Citius enim potest in se confidens humana sapientia impingendo cornua sibi evellere, quam vi nitendo petram hanc evellere” (2). —

(1) Johannes Scotus Erigena, *de praedestinatione, proœmium*. Conf. Reinhold, *Geschichte der Philosophie* (Jena, 1845) I p. 340 sq.; Hegel, *Vorlesungen über die Gesch. der Philos.* III, p. 144 et Tenneman, *I. l.* p. 72 sq.

(2) Anselmus, *de fide Trinitatis* c. 2, ubi porro omnes, «qui,

Fidem intellectui praecedere censem: „neque enim quaero intelligere ut credam, sed credo ut intelligam; nam et hoc credo, quia nisi credidero non intelligam” (1). — Id vero non prohibuit quominus philosopham illam disquisitionem quam maxime habeat necessariam (2), non id agens, ut eā ecclesiae fulciat auctoritatem (3), sed ut incredulorum objectiones reponiam quod credunt intelligere non possunt, disputant contra fidei a sanctis patribus confirmatam veritatem” assimilantur «vespertilionibus et noctuis, quae non nisi in nocte coelum videntes de meridianis solis radiis disceptent contra aquilas solem ipsum irreverberato visu intuentes.” —

(1) *Anselmus, Proslogium, c. I. Conf. de fide Trinitatis c. 2:* «Nimirum hoc ipsum quod dico qui non crediderit non intelliget. Nam qui non crediderit non experietur, et qui expertus non fuerit non intelliget.” —

(2) *Cur Deus homo I c. 2:* «Sicut rectus ordo exigit, ut profunda Christiana fidei credamus, priusquam ea praesumamus ratione discutere; ita negligentia mihi videtur si, post quam confirmati sumus in fide, non studemus quod credimus intelligere.” —

(3) *De fide Trinitatis. c. 1:* «Rogo ne quis putet praesunxisse me, quasi fortitudinem fidei Christianae meae existimem indigere defensionis auxilio. Quippe si ego contemptibilis homuncio, tot sanctis et sapientibus ubique existentibus, ad confirmandum fidei Christianae firmamentum quasi mea indigeat defensione aliquid scribere tentarem, praesumtor utique judicari et deridendus possem videri. Si enim me viderent homines alii onustum paxillis et funibus et aliis rebus, quibus nutantia ligari et stabiliri solent, elaborare circa montem Olympum ad confirmandum eum, ne aliquius impulsu nutaret aut subverteret: mirum si se a risu et derisu contineant. Quanto magis cum lapis, qui abscissus de monte sine manibus percussit et comminuit statuam, quam vidit in somnio Nabuchodonosor, jam factus mons magnus impleverit

futet, iisque de veritate singulorum dogmatum, imo totius scripturae s., persuadeat (1).

Res ipsa docet non id Anselmum agere potuisse, ut universam ecclesiae doctrinam contextu systematico elaboratam exponeret, quippe nondum dabatur singulorum doctrinae dogmatum philosopha demonstratio. Talem vero omnibus ingenii viribus instituere studuit. Demonstratio aprioristica de existentia Dei, propositum sane, quod omnes minoris ingenii viros sua absterruisset difficultate, diu eum occupaverat; tandem vero Anselmus protulit argumentum *ontologicum*, quod, licet sophistica demonstrandi ratione nitatur, vel sic tamen splendidum habendum est sagacissimi Anselmiani ingenii specimen. Nec minoris momenti alia sunt argumenta, quibus indagandis operam eum dedisse constat: *de Trinitate*, *de concordia praedestinationis cum libero arbitrio*, *de casu diaboli*, *de peccato originali*, rel. Praecipuum vero inter ejus scripta locum occupare videntur libri duo, qui quaestionem prae se ferunt: „*Cur Deus homo?*” quibusque scriptor noster in historia dogmatum maximam famam assecutus est.

universam terram; si eum meis rationibus fulcire et quasi nutantem stabilire nitar, tot sancti et sapientes, qui super ejus aeternum firmamentum se stabilitos esse gaudent indignari mihi possent, et hoc imputare non studiosae gravitati sed jactantiae levitati? Si quid ergo de firmitate fidei nostrae in hac epistola disputavero, non est ad confirmandam illam sed ad fratrum hoc exigentium precibus satisfaciendum.” —

(1) *Cur Deus homo*. Praefatio, Lib. I c. 1, II c. 22.

Fontes, e quibus doctrinam suam hausit Anselmus in primis sunt *Scriptura sacra et patres ecclesiae*.

Constat eum magna erga S. S. veneratione fuisse imbutum. „Certus sum si quid dico, quod sacrae scripturae absque dubio contradicat, quia falsum est; nec illud tenere volo, si cognovero.” Et alibi: „quemadmodum (inquit) autem sit ad tantae gratiae participationem accedendum, et quomodo sub illa vivendum, nos ubique sacra scriptura docet, quae super solidam veritatem — velut supra firmum fundamentum fundata est” (1).

Ne vero putes S. S. indagationem magnos jam id temporis fecisse progressus. Veteri foedere e versione Latina secundum LXX interpres Anselmus usus est, ipse linguae Hebraeae ignarus, quam ejus tempore soli Judaei eorumque pauciores callebant. Ne quis hanc versionem in dubium vocet, affirmat Anselmus ejus auctores Sp. S. fuisse illustratos, imo multa eos addisse, quae ipsum Mosem fugissent (2). Neque patet, eum linguae Graecae fuisse peritum, quae medio aevo prorsus erat obsoleta. Libris Graecis nemo nisi ex versionibus Latinis uti solebat (3). Admodum porro inulta erat ars exegetica, valebat in primis allegorica interpretatio, ipsique scholastici id magis agebant, ut artificiosa notionum conjunctione senten-

(1) *Cur Deus homo* I c. 18, II c. 19, *Conf.* c. 22.

(2) *Conf. Veder l. l. p. 108* et locos ibi citatos.

(3) *Veder l. l. p. 105.*

tiam suam e S. S. confirmarent, quam ut proprium ejus sensum exponerent (1).

Patres ecclesiae de variis dogmatibus multa jam scriperant; nonnulli vero nimis indulgentes allegorisandi q. d. studio, plurima mythis permiscuerant. Porro apud eos scholasticismi latebant initia (2), quum saepius conatis sint ecclesiae dogmata intellectui humano adaptare fabulosâ et mythicâ interpretandi ratione usi. Apud Irenaeum et Origenem e. g. de argumento nostro talia jam reperiuntur:

Secundum Irenaeum enim diabolus hominem sibi subjecerat, idque licet injuste egisset, Dei tamen justitia exigebat, ut non adeo vi sed justo modo eum a potestate diaboli liberaret. Haec liberatio fieri non potest, nisi quis *spontanea* voluntate se huic diaboli potestati subtrahat (non peccando), quemadmodum homo sponte peccando illi se subjecisse traditur. Haec ad

(1) Exemplum invenitur in libris: «*Cur Deus homo?*» I. c. 18. ubi Anselmus, ut suam de angelorum civitate hominibus complenda sententiam confirmet (vid. infra part. I cap. I), attulit quae leguntur *Deuter.* 32:8: «*Constituit terminos popolorum juxta numerum filiorum Israel.*» In alia vero translatione legebatur: «*Juxta numerum angelorum Dei;*» in quibus Anselmus hanc posuit regulam hermeneuticam: «*ambae translationes aut idem significant, aut diversa sine repugnantia.*»

(2) Brucker, *Historia critica Philosophiae T. III* censet philosophiam scholasticam a seculo V ad VII conceptam fuisse, seculo IX et X in utero gestatam et formatam, seculo XI natam, seculo XII pueritiam et juventutem egressam et seculo XIII ad plenam virilitatem evectam fuisse. Conf. Veder, l. l. p. 90. —

Christum refert Irenaeus, ostendens Deum hominem servasse non adeo vim inferendo sed potius suadendo (1).

Origenes quoque nos peccati ideoque et diaboli seruos esse contendit. Christum nos sui sanguinis pretiosum simul vero *fallendo* diabolum, redemisse censet. Diabolus enim ignorasset Jesum Dei esse filium unigenitum, et „ἐμπέπτωνεν εἰς σταυρὸν ἀγνοῶν· εἰ γὰρ ξύνω, οὐκ ἀν αὐτὸν πέισον τὴν δόξης ἐσταυρώσε” (2).

Quibus cum Anselmi ratiocinationibus comparatis, hunc in argumento laudato elaborando meliora praestitisse nemo negabit. Deo vel Christo fraudulosam agendi rationem adscribi posse a sano ejus judicio abhorrebat. Recte quidem censet, Deum, si justissimus sit habendus, etiam erga diabolum justitiam suam servaturum

(1) Irenaeus, *adv. haer.* V. 1, 1. « Potens in omnibus Dei verbum, et non deficiens in sua justitia, justa etiam adversus ipsam conversus est apostasiam, ea quae sunt sua redimens ab eo, non cum vi quemadmodum ille initio — sed secundum suadelam.” Conf. Bähr, *die Lehre der Kirche vom Tode Jesu* p. 64 et Baur, *Die Christliche Lehre von der Versöhnung*, p. 30 sq.

(2) Origenes in Ps. 35:8. Idem in Matth. Tom XIII, 9 Λιά (inquit) τούτῳ ὁ πατήρ τοῦ Ἰδίου νιοῦ οὐκ ἐφείσατο — ίντος οἱ παραλαβόντες αὐτὸν, παῖς παραδόντες αὐτὸν εἰς γῆρας ἀνθρώπων, ὑπὸ τοῦ κατοικήσαντος ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἐγγείλασθάσι, παῖς ὑπὸ τοῦ πιού ἐνμυκητηρισθῶσιν, κ. τ. λ. — Conf. Baur l. l. p. 50 sq.

Notandum est Petrum Lombardum sec. XII eo processisse, ut diceret: «quid fecit redemptor captivatori nostro? Tendit ei mscipulam crucem suam: posuit ibi quasi escam sanguinem suum.” (Sent. Libr. III Dist. 19.)

esse (1). Negat porro, diabolum jure suo hominem sibi subjicere (2).

Anselmi autem de argumento nostro doctrinam non prorsus mythis vacare, patet in consideranda ejus theoria de angelorum instauratione (vid. infra part. I cap. I). Neque iis prorsus carere potuisse videtur, alioquin enim ejus argumentatio aprioristica („quasi nunquam aliquid fuerit de Christo“) omni fere fundamento fuisset destituta. Ipso hoc mythorum usu luculenter, ni fallor, ostenditur, audacissimum imo temerarium fuisse Anselmi propositum demonstrandi aprioristice u. d. redemtionem hominis per Christum peractam. Factum enim historicum historico nititur fundamento, ejusque veritas historicā maxime eget demonstratione. Philosophia quidem singulorum factorum vinculum illustrare atque adeo historicae investigationi lucem afferre poterit; ipsa tamen facta, indagationis objecta, historia exhibeat necesse est. Huic philosophiae cum theologia historica

(1) *Meditatio XI, de redēctione humana*: «Cur bone Domine, pie redēctor, potens salvator! Cur tantam virtutem operuisti tanta humilitate? An ut falleres diabolum, qui fallendo hominem dejicit de paradiso? Sed utique veritas nullum fallit. Qui ignorat, qui non credit veritatem ipse se fallit, qui videt veritatem et odit et contemnit, ipse se fallit. Veritas itaque nullum fallit. An ideo ut ipse diabolus se falleret? Sed utique sicut veritas nullum fallit, ita non intendit, utz aliquis se fallat, quamvis hoc dicatur facere cum permittit. Non enim assumsisti hominem, ut te notum operireres, sed ut ignotum aperires.” —

(2) *Cur Deus homo*, I c. 7.

commixtioni, s. potius perturbationi, tribuendum esse censeo, quod saepius Anselmi argumentationes sibi invicem repugnant, quodque tota ejus investigatio laborat difficultatibus, quae nec evitari nec dirimi possunt. De quibus in dissertatione singulatim videbimus.

Quomelius cum Anselmo comparemus Calvinum ejusque de rebus divinis disserendi rationem, diversam prius temporum, quibus vixit, rationem attendamus (1); haud minus enim, quam Anselmus, sui temporis notam referre Calvinus habendus est.

Theocratia papalis inde a Gregorio VII haud parvis incrementis gavisa erat, non diu vero ante reformatiōnem paullatim delabi coepit a fastigio, quod inde a seculo XIII obtinuisse videtur. Vinculum inter clericos et papam Calvini tempore non quidem desiderabatur sed depravato ecclesiae regimine perversisque paparum moribus haud paullum erat dissolutum. Scholasticismus tam demonstrandi subtilitate, quam argumentorum tractatorum multitudine acreverat, deinceps vero paullatim erat degeneratus et dirimendis quaestionibus vanis et inanibus incumbere solebat. Nec mirum; philosophia enim doctrina, quae non id agere possit, ut veritatem e latebris proferat, exponat, vindicet, sed cuius libertas impediatur auctoritate, indagationum eventum praefiniente, minus

(1) Vixit Calvinus ab anno 1509 ad annum 1564, de ejus vita vid. in primis P. Henry, *das Leben Johann Calvins*. 3 Tom. Hamburg, 1835—44.

virorum studiis, quam puerorum ludo inservire poterit (1). Neque tamen frustra vitam degerat Scholasticismus, cuius Calvini tempore dies supremus adesse videbatur. Dialecticae exercitationes vim ingenii acuerant et irriti conatus ad ecclesiae doctrinam rationis ope confirmandam ostenderant, eam non esse „rationabilem.”

Disciplinae non amplius, ut antea, in claustris latebant sed splendebant imprimis in Universitatibus, earumque progressus minus quam antea ecclesiae auctoritate retinebantur. Ibi literae Orientales et Graecae tradebantur, neque ad S. S. cognitionem unae versiones inserriebant, sed ipse legebatur textus archetypus. Laurentius Valla (sec. XV) aliquique viri doctissimi in interpretanda S. S. veram viam monstraverant. Hierarchiam eodem seculo oppugnaverant Wicliff, Huss, Hieronymus Pragensis aliisque Reformationis prodromi. Sacra Scriptura in manibus laicorum versabatur et Wicliffi inter Anglos aderat C. S. versio Anglicana. Mysticorum studia practica populum eo adduxerant, ut animadverterent vitia clericorum et auctoritatis papalis abusum. Verbo: ecclesia ab omni fere parte depravata Calvini tempore ubivis reformationis aderant initia.

Reformationis studia cum studiis scholasticis haud paullum discrepabant, quapropter nemo mirari potest diversam prorsus temporis utriusque rationem in An-

(1) De Scholasticismi decremento conf. Hagenbach, *Dogmen-geschichte*, II p. 18 et 19.

selmo et Calvinus spectari. Quod ut recte intelligatur, paucis nobis exponendum erit, quibus potissimum rebus scholasticismus differat a doctis Reformatorum studiis.

Fontis, e quo petierunt, ratione habita tenendum est, solo Codice Sacro nisi Reformatorum doctrinam. „Er sei (Lutherus inquit) nicht so unverständlich, das göttliche Wort den von menschlicher Vernunft ersonnenen Fabeln nachtsetzen zu lassen.“ „Kein Christ könne gezwungen werden, ausser der heiligen Schrift, die eigentlich das göttliche Recht sei, sich verpflichten zu lassen.“ „Solum verbum Dei apertum, clarum et liberrimum, quod merito omnibus superius et omnium hominum judex permanere debet“ (1). Neque aliter iudicat Calvinus: „Ad verbum (inquit) est veniendum; — ab eo si deflectimus, quamlibet strenua enitamus celeritate, quia tamen extra viam cursus erit, nunquam ad metam pertingere continget. Sic enim cogitandum est fulgorem divini vultus — esse nobis instar inexplicabilis labyrinthi nisi verbi linea in ipsum dirigamur; ut satius sit in hoc via claudicare extra eam quam celerrime currere“ (2).

Methodum, quam secuti sunt, si attendamus monendum est, in investiganda C. S. doctrina philosophiae nullum locum concedi. „Wer (ita Lutherus) da will ein Christ sein, der soll seine Vernunft oder Kopf

(1) Vil. Schenkel, *Wesen des Protestantismus* I p. 19 sq.

(2) *Instit. Rel. Chr.* I c. 6 § 3.

nicht darum fragen, wie es laute, sich reimt oder klinge; — ich muss das allein wissen ob auch Gottes Wort da sei oder nicht, darnach frage ich, obs Gott gesagt habe.” — Zwinglius id imprimis in scripturae interpretatione requirit: „seinen Verstand liegen zu lassen;” et Calvinus omnes allegorisandi et philosophandi studio indulgentes censet „extra literam philosophari.” „Scriptura dat mandata, quorum minime capax est animus noster, nisi ante naturali sensu evacuatus” (1).

Quod attinet ad *finem*, quam sibi proposuerunt reformatores, historia docet, quemadmodum scholastica studia scholae adaptata fuerint, ita reformatoria

(1) Vid. Schenkel, *I. I.* p. 100 sq.; Calvinus, *Instit. Rel. Chr.* III c. 7 § 4.— Lutherus porro statuit adesse duplēm veritatem, philosopham et theologicam, et de philosophia, si veritatem suam nimis urgere vellet, illud valere: «mulier taceat in ecclesia!» Schenkel *I. I.* p. 112.

Eodem fere modo Calvinus: «Nobis (inquit) ingenita est naturaliter ratio, quae sine Dei injuria damnari non potest; sed ea suos habet fines, quos si exsuperat evanescit. Altera ratio vitiosa est, praesertima natura corrupta: dum mortalis homo res divinas, quas suspicere debuerat, suo judicio vult subjicere. Tertia autem ratio est, quam et Spiritus Dei et Scriptura nobis dictat.” Opera T. VIII p. 728. —

Ceterum recte judicavit Hegel (*I. I.* p. 124) de Scholasticismo sermonem agens: «Philosophie und Theologie haben hier als Eins gegolten, und ihr Unterschied macht eben den Übergang in die moderne Zeit aus, als man nämlich meinte, dasz für die denkende Vernunft Etwas wahr sein könne, was es nicht sei für die Theologie. Im Mittelalter selbst liegt dagegen zum Grunde, dasz es nur Eine Wahrheit sei.”

vitae inservire. Id enim in primis egerunt reformatores, ut doctrinam, quae in S. S. invenitur, publicis adaptarent commodis, neque tantum mentis eruditio nem, sed pietatem, virtutis Christianae amorem et salutis aeternae desiderium excitarent. Indoles scholasticismi abstracta erat et scholaris, reformationis vero moralis ac religiosa; haec vitae actionem s. πρᾶξιν, illa contemplationem s. θεωρίαν spectabat.

In hocce specimine Scholasticismi et Reformationis studia speciatim considerabimus, ratione habita eorum, quae *de hominum per Christum a peccato redēctione* Anselmus et Calvinus docuerunt. Hoc argumentum maximi habendum esse momenti, vix opus est ut moneamus; modum enim, quo dissidium inter Deum et hominem peccatorem tollatur, principem in quaunque religione locum obtinuisse historia luculenter docet. Ethnici angoribus conscientiae vexati, variis modis, dirissimis interdum cruciatis, deos suos placare studebant; sacrificiorum ritus amplissimi apud Judaeos antiquos satis ostendunt, quantopere per peccatum a Deo sanctissimo disjuncti essent; nec minus talem a Deo alienationem apud omnes homines adesse docet religio Christiana, in cuius placitis peccatoris per Christum redēctione principem obtinet locum. Non mirum igitur, si theologi Christiani per omnia secula summā operā hoc in primis egerunt, ut modum illius per Christum redēctionis accuratiū exponerent.

Porro in placitis, quae viri docti de eo argumento exposuerunt, hand infimum locum obtinere Anselmi de satisfactione doctrinam nemo negabit. Anselmus enim non solum, ut supra diximus, tantam consecutus est famam in sui aevi philosophis, ut jure pater Scholasticismi dicatur, sed non minus in theologia dogmatica inclaruit, exposita quaestione: „Cur Deus homo?” Quanti ejus de hoc argumento disquisitio aestimanda sit, et quatenus cum aliorum doctrina conveniat, nostro quoque seculo viri docti a diversis partibus judicare solent (1).

Ut vero illius de satisfactione doctrinam cum *Calvini* placitis de hominis per Christum redemtione in hocce specimine comparemus, jam satis commendari videtur magno discrimine, quod inter studia scholastica et reformatoria adesse modo indicavimus. Deinde animadvertisendum est, Calvinum omnium reformatorum optime meritum esse de sacri Codicis docta interpretatione (2), et imprimis praeceteris excoluisse

(1) Conf. e. g. ea quae scripsit anonymus in Hengstenbergi diario: *Evangelische Kirchenzeitung* 1834 p. 2 sq. Hunc refutare studuit Baur, die *Christliche Lehre von der Versöhnung*, p. 672 sq. Denique in eodem Hengstenbergi diario (1844 p. 769 sq.) invenitur disputatio: «über das Verhältniss der Anselmschen zur Kirchlichen Genugthuungslehre.”

(2) De Calvino, librorum N. T. historicorum interprete script D. G. Escher, Th. Dr. Trajecti ad Rhenum, 1840. Conf. P. Henry l. l. I p. 342 sq.

theologiam systematicam (1). Denique disquisitio nostra non abhorrire videtur a studiis, quae his ipsis diebus in nostra quoque patria viros doctos occupare solent. In indaganda enim ecclesiae reformatae Neerlandicae doctrina Calvini quoque scripta consideranda esse recte censetur.

*Fontes primarii nobis erunt Anselmi libri inscripti: „Cur Deus homo?” et Calvini *Institutiones Religionis Christianae*. Illius operis, ipso Anselmo teste, argumentum sic se habet: „Liber prior infidelium respondentium christianam fidem, quia rationi putant illam repugnare continent objectiones et fidelium responsiones; ac tandem remoto Christo (quasi nunquam aliquid fuerit de illo) probat rationibus necessariis esse impossibile ullum hominem salvari sine illo. In secundo autem libro similiter, quasi nihil sciatur de Christo, monstratur non minus aperta ratione et veritate, naturam humanam ad hoc institutam esse, ut aliquando immortalitate beata totus homo, id est in corpore et in anima frueretur; ac necesse esse ut hoc fiat de homine propter quod factus est; sed non nisi per hominem*

(1) Calvini systema adest in ejus opere: *Institutiones Religionis Christianae*, in quo tota Religionis Christianae doctrina exposita est. Hoc Calvini opus inter Reformatorum opera dogmatica primum locum obtinere et Melanchthonis adeo locis theologicis praestare censetur. De *Inst. Rel. Chr.* id exstat Pauli Thurii distichon:

Praeter apostolicas post Christi tempora chartas

Huic peperere libro saccula nulla parem.

Conf. P. Henry l. l. I p. 102 sq.

Deum, atque ex necessitate omnia, quae de Christo credimus, fieri oportere" (1). Libri formam habent dialogi inter Anselmum et Bosonem, monachum Becensem.

Calvinus *institutiones Religionis Christianae* in quatuor libros divisit, quorum primus agit *de cognitione Dei Creatoris*; secundus: *de cognitione Dei Redemptoris in Christo*; tertius: *de modo percipiendae Christi gratiae*; et quartus: *de externis mediis ad salutem*. Iis praefixa est nobilissima ad Franciscum Galliae regem praefatio, qua causam suam contra inimicorum calumnias defendere studet. Totum opus primum a Calvino gallice scriptum, deinde vero in linguam latinam translatum esse videtur. In quo conscribendo auctor primum sibi proposuerat tantum „rudimenta quaedam tradere, quibus formarentur ad veram pietatem, qui aliquo religionis studio tanguntur.” Quam vero animadverteret „paucissimos vel modica Christi cognitione imbutos esse, et quorundam improborum furorem in Gallia eo usque invaluisse, ut nullus sanae doctrinae ibi sit locus,” operae pretium esse existimavit, si simul iis institutionem praebaret et confessione edita exponeret doctrinam, „in quam tanta rabie exardescunt furiosi illi ferro et ignibus totam Galliam turbantes” (2).

Denique nobis monendum est, Anselmum libros

(1) *Cur Deus homo*, in praefatione.

(2) *Institutiones Rel. Christianae*, in praefatione.

laudatos anno aetatis sexagesimo tertio confecisse, et Calvinum ultimam Institutionum editionem curasse anno quinto ante obitum (1). Jure igitur uterque in hisce scriptis suam de argumento nostro sententiam integrum exposuisse censemur, eaque recte investigationi nostrae fundamenta subjici poterunt. — Fontes secundarii suis locis indicandi erunt.

(1) Conf. Franck *l. l.*, p. 28 et Henry *l. l. I*, p. 286, ubi tres *Institutionum* editiones memorantur: annis 1535, 1539 et 1559. Ultima dicitur: «eine durchaus neue Bearbeitung.”

PARS PRIOR.

DE PECCATO EJUSQUE INCOMMODIS A DEO TOLLENDIS.

CAPUT PRIMUM.

ANSELMI ET CALVINI SENTENTIAE DE PECCATO
EJUSQUE INCOMMODIS.

Discrimen, quod inter studia scholastica et reformatoria adesse notavimus, accuratius nobis considerandum est in iis, quae Anselmus et Calvinus docuerunt *de incommodis, e peccato profectis, a Deo tollendis et per Christum sublati*. Primum igitur nobis oritur quaestio: quaenam illis judicibus haec fuerint incommoda?

Anselmus mutationes e peccato in rerum ordinem profectas ad duo refert capita: peccato Deo suum esse ablatum honorem, eodemque Dei consilia irrita esse facta. De singulis singulatim videamus.

Peccatorem Deo honorem suum auferre Anselmus e natura peccati derivat. Peccare enim eo judice nihil aliud est, quam Deo non reddere debitum. Omnes creaturae rationales subjectae esse debent voluntati divinae, et solus honor, quem debemus Deo et Deus a nobis exigit, est justitia sive rectitudo voluntatis. Hunc honorem debitum qui Deo non reddit, quod suum est Deo auferet; hoc autem est: peccare (1).

Anselmum hoc placitum doctrinae suac posuisse fundamentum, quomagis probaret necessitatem aliquid Deo reddendum esse, infra (Cap. II) videbimus. Hoc autem loco notandum est, jam patere quantis difficultatibus laboret necesse est omnis philosophia, doctrinam Christianam (historicam illam) a priori construere studens. Si enim quaeras, num Dei dignitati conveniat, quod honorem suum violari patiatur, ad incitas redigitur scholasticus. Revera tale quid quaesivit Boso, et noster huic quaestioni ita respondeat, ut totam suam argumentationem nonnisi sophistamate defendere, adeoque penitus ipse eam evertere videatur.

Distinguit nempe inter honorem Dei, quantum ad Deum ipsum attinet, et quantum attinet ad creaturas rationales. Quantum ad Deum ipsum attinet, ejus honorem dicit incorruptibilem nulloque modo mutabilem esse, atque ideo non posse augeri nec minui. Homo

(1) *Cur Deus homo* I c. 11; conf. c. 22.

igitur vel angelus Dei voluntati obsequens ei nihil affert neque eum honorat, nisi quatenus ad se pertinet. Eadem ratione aliquis Dei voluntati non parens eum honore privat, non quod ad Deum, sed quod ad se ipsum pertinet (1).

Talem vero distinctionem non admittendam censemus. Honor enim cogitari non potest nisi in alterius de quodam opinione, nec honor Dei nisi in opinione creaturae. Porro sibi repugnat Anselmus Dei honorem dicens incorruptibilem et contendens „Deum exhonori quantum ad hominem attinet.”

Ipse ut videtur animadvertisens, hanc argumentationem non recte procedere, comparationem ei addidit, qua peccator assimilatur eidem coelum fugienti et simul appropinquanti. Qui sub coelo degens

(1) *Cur Deus homo*, lib. I c. 15. «Dei honori nequit aliquid quantum ad illam pertinet addi vel minui. Idem namque ipse sibi honor est incorruptibilis et nullo modo mutabilis. Verum quando unaquaeque natura suum et quasi sibi praeceptum ordinem sive naturaliter sive rationabiliter servat, Deo obediens et eum dicuntur honorare; et hoc maxime rationalis natura, cui datum est intelligere quid debet. Quae cum vult quod debet Deum honorat; non quia illi aliquid confert, sed quia sponte se ejus voluntati et dispositioni subdit, et in rerum universitate ordinem suum et ejusdem universitatis pulchritudinem, quantum in ipsa est servat. Cum vero non vult quod debet, Deum quantum ad illam pertinet inhonoret, quoniam non subdit se sponte illius dispositioni; et universitatis ordinem et pulchritudinem quantum in se est perturbat, licet potestatem aut dignitatem Dei nullatenus laedat aut decoloreret.”

hoc subterfugere volet, coelum non fugiet nisi simul appropinquans partem ejus oppositam; eademque ratione homo vel malus angelus, qui divinae voluntati et ordinationi se submittere nolet, eam tamen fugere non valebit. Dei enim voluntatem jubentem fugiens subjicitur Dei voluntati punienti. Semper igitur Deo subjectus erit, et honore suo Deus non carebit (1).

Quae quidem comparatio argumentum praebet contra ipsum Anselmum. Deus enim in ea dicitur peccatorem *punire* et *satisfactionem* vel *poenam* exigere (conf. verba infra allata); poena vero et satisfactio apud Anselmum significant *honoris ablati* invitam vel spontaneam reditonem, et honor, qui aufertur et redditur, *incorruptibilis* haberi nequit.

Censet porro scholasticus ad incommoda e peccato profecta id referendum esse, quod Deus impediatur quominus sua peragat consilia. Deum enim sibi proposituisse statuit: primum, ut *hominibus compleat immi-*

(1) *Cur Deus homo* I c. 15. « Quamvis homo vel malus angelus divinae voluntati et ordinationi subjacere nolit, non tamen eam fugere valet, quia si vult fugere de sub voluntate jubente, currit sub voluntatem *punientem*. Et si quaeris qua transit? non nisi sub voluntate permittente; et hoc ipsum, quod perverse vult aut agit, in universitatis praefatae ordinem et pulchritudinem summa sapientia convertit. Ipsa namque perversitatis spontanea *satisfactio* vel a non satisfacente *poenae exactio* in eadem universitate locum tenent suum et ordinis pulchritudinem.” — Conf. *ibidem* c. 13 et 14.

natum angelorum numerum, et deinde ut ipsum hominem beatum reddat.

1. Ut hominibus compleendum esse numerum angelorum imminutum probet Anselmus, primum demonstrat numerum angelorum a Deo esse praefinitum, deinde hunc numerum malorum lapsu esse imminutum, denique compleri non posse bonis angelis (1).

Numerum, quo rationalem naturam felicitate gaudentem constitueret, Deum praescivisse, ab omni dubio remotum esse censem scholasticus (2), idque negari non posse facile ei concedes. Attamen ejus πρῶτον ψεῦδος q. d. in eo inesse videtur, quod hunc numerum praefinitum Deo tamquam agendi normam ponit, adeoque aliquid Deo tribuit quod non omni vacare absurditate recte censemur (3). Hoc quoque loco patet Anselmum sibi

(1) Malos angelos non posse restituiri, intelligendum est, Anselmo auctore, ex nostrae restorationis difficultate. Accuratus hanc sententiam exponit in fine operis laudati. *Lib. II c. 22.*

(2) *Cur Deus homo I c. 16.* «Rationalem naturam, quae Dei contemplatione beata vel est vel futura est, in quodam rationabili et perfecto numero praescitam esse a Deo, ita ut nec majorem nec minorem illum esse deceat, non est dubitandum. Aut enim ne scit Deus, in quo numero melius eam deceat constitui: quod falsum est, aut si scit in eo illam constituet, quem ad hoc decentiorem intelliget?»

(3) *Evangelische Kirchenzeitung von Hengstenberg 1844*, p. 787: «Es ist ja in der That nicht abzuschließen, was die göttliche Vernunft mit jener bestimmten Zahl zu schaffen haben solle, wir müssen es vielmehr als einen unvernünftigen Gedanken bezeichnen, in der abstracten Anzahl selbst ein besonderes Geheimnis göttli-

aliquid explicandum proposuisse, quod hominum captum superat, quum nostra cognitio de modo, quo Deus mundum gubernat tam arctis finibus descripta sit, ut nemo hunc modum ratiocinando definiens ab omni temeritatis culpa vindicari possit. Doctrinam igitur tali fundamento nitentem nullo niti fundamento censemus.

Hunc numerum angelorum lapsu fuisse imminutum Anselmus ex hoc dilemmate derivat: angeli qui ceciderunt facti sunt ut essent aut intra — aut extra illum numerum. Id si verum est, ex necessitate ceciderunt, hoc vero absurdum. Mali igitur angeli facti sunt, ut essent in bonorum numero, et hic numerus eorum lapsu est immunitus.

Alios autem angelos pro iis restitui non posse censem, quum non tales essent, quales mali fuissent angeli, si non peccassent. Ita enim perseverassent nulla visa vindicta peccati; angeli vero, qui pro illis restitueren-

cher Vernunft zu finden, als einen Gedanken, zu dem Anselm sicherlich nicht gegriffen haben würde, hätte er ihm nicht eine willkommene Stütze für seine versuchte Vernunftnothwendigkeit der Erlösung geboten. Soll eine vernünftige Zahl zur Seligkeit bestimmter Geister überhaupt einem vernünftigen Sinn haben, so könnte diese Vernunft nicht in der Zahl an sich, — denn worin ist eine Zahl vernunftgemässer als die andere? — sondern etwa nur darin bestehen, dasz die bestimmte Zahl göttlicher Ideen nur in dieser bestimmten Zahl individueller Geister erschöpfend sich ausgewirkt hätte. Wenn nun aber die Masse der göttlichen Ideen unendlich ist, so müsste auch die correspondirende Anzahl der sie im himmlischen Staate darstellenden Geister unendlich seyn.” —

tur, eorum poenam adspicientes eaque a peccato deteriti, malorum lapsu confirmarentur (1).

Quum numero imperfecto non possit manere rationalis natura, constat „Deum sibi proposuisse, ut de humana natura, quam fecit sine peccato, numerum angelorum, qui ceciderant, restitueret, ideoque non in minori numero futuros esse homines electos, quam sunt angeli reprobi” (2).

Quaeritur autem utrum angelorum numerus, antequam illorum nonnulli ceciderunt, perfectus fuerit necne? Si perfectus fuit, non erunt electi homines plures reprobis angelis; si vero imperfectus, homines non tantum creati sunt ad restituendum numerum immutum, sed etiam ad perficiendum numerum nondum perfectum. Haec sententia potissimum Anselmo arridet, eamque alteri praestare tribus argumentis probare studet.

a. Primum argumentum nititur hypothesi: Deum omnia simul creavisse (3). Si angeli et homines simul creati sunt, necesse est angelorum primum creatorum nu-

(1) *Cur Deus homo.* I. c. 17.

(2) *Ibidem.* Anselmum doctrinam suam de angelis restituendis magna ex parte ab Augustino desumisse recte notavit Franck *l.l.* p. 201. Conf. Augustini *Enchirid. ad Laurent.* c. 28, 29 et *de Civitate Dei* XXII, 1.

(3) Licet id quodammodo in dubium posuerit Anselmus, non dubitandum tamen est, quin revera non censuerit hominem factum esse post casum malorum angelorum «Sicut quidam intelligunt;» sed potius hominem simul cum angelis creatum esse, «quod magis putant multi.» *Lib. I* c. 18.

merum non fuisse perfectum. Nam si ita esset, aut non nulli homines vel angeli cadere debuissent, aut plures essent in illa coelesti civitate, quam decuisset secundum numerum a Deo initio constitutum. Videtur igitur Deus angelos et ambos primos homines numero imperfecto creavisse, „ut hominibus, si nullus caderet angelus, quod deerat solum perficeretur, et si aliquis periret hoc quoque quod caderet restitueretur.”

b. Si homines non facti sunt nisi ad instaurandum angelorum numerum, felicitatem suam debent malorum peccato et miseriae, et tantopere laetabuntur electi homines horum angelorum perditione, quantopere gaudebunt sua ipsorum beatitudine. In coelo igitur aderit laetitia propter malum alienum. Id autem non tantum repugnat sanctitati, quae coelicolis tribuitur, sed eorum quoque beatitudini, quae cum tali vitio conjuncta cogitari nequit.

Omnis vero difficultas removetur, si imperfectus fuit angelorum numerus. Quod si locum habuit plures erunt homines beati quam angeli reprobi, et nemo scire poterit, utrum assumptus sit propter casum aliorum, an vero ad numerum imperfectum complendum.

c. Tertium argumentum, ab Anselmo subtilius et obscurius expositum, huc redire videtur :

„Deus sibi *ab initio* proposuit *simul* hanc mundi molem corpoream in melius renovare et perficere civitatem angelorum.”

„Mundum vero noviter factum statim renovare Deus non poterat, quum omni careat ratione, quod eae res,

quae post renovationem illam non erunt, in ipso initio
antequam appareret cur factae essent destruerentur."

Angelorum igitur numerus imperfectus esse debuit,
ut ejus perfectio differri possit usque ad mundi futu-
ram renovationem (1).

Tota haec Anselmi argumentatio, ut modo diximus,
nititur hypothesi, quae omni caret fundamento: Deum
nempe angelorum numerum praefinitum sibi agendi
normam posuisse. Hoc vero praetermisso notandum
nobis videtur viri sagacissimi ingenium, quo quaesti-
onem difficillimam solvere conatus est argumentis, qui-
bus omnis verisimilitudo negari non potest. Facilis
post talem demonstrationem ei aderat conclusio: homi-
nis peccato impediri, quominus secundum Dei proposi-
tum civitas superna hominibus restauretur. „Tales
enim oportet esse homines in illa civitate quales boni
angeli; et homo, qui aliquando peccavit, non aequa-
lis est angelo, qui non peccavit” (2).

Alterum Dei consilium, quod Anselmus peccato ir-
ritum factum esse censem, id est: Deum sibi propo-
suisse *hominem reddere beatum*.

Dei propositum, ut illo fruendo non tantum angeli
gaudenter, sed etiam homo beatus esset, Anselmus
derivat ex hujus natura rationali. Hac enim hominem

(1) *Cur Deus homo* I, c. 18.

(2) *Ibidem*, c. 19.

praeditum esse putat, ut discerneret inter justum et injustum, inter bonum et malum. Summum igitur bonum p[ro]ae omnibus amare debet homo, ideoque Deus eum justum creavit. Frustra autem justum eum crevisset Deus, si homo summum bonum amando et eligendo non assequi posset, et eo carens quod maxime desiderat, miseriā deprimeretur. Id vero absurdum est. „Homo ergo factus est justus ad hoc, ut Deo fruendo beatus esset” (1).

Homo vero, licet justus creatus sit, integritatem naturae suae non servavit, sed peccando justitiam suam amisit, quippe Deo debitum non reddens. „At (dicat quis) homo peccator Deo debitum suum reddere non potest, quo igitur jure injustus habetur?” Pulcherrime huic quaestioni respondet Anselmus, ipsi hominis impotentiae non excusationis sed culpae locum addicens. Quid! homo impotentiae causa excusaretur! Ipsa impotentia culpa est, quia non debet eam habere, imo debet eam non habere. Culpa est homini non habere potestatem illam, quam accepit, ut posset cavere a peccato; culpa est illi habere impotentiam, qua nec justitiam tenere neque a peccato cavere, nec id quod pro peccato debet reddere potest. Sponte enim id fecit, quo perdidit illam potestatem et devenit in hanc impotentiam. Fac: servo tuo opus mandasti, praecipis illi ne dejiciat se in foveam, quam illi demonstras, unde nul-

(1) *Cur Deus homo* II, c. 1.

latenus exire possit; et servus ille contempnens mandatum tuum et admonitionem domini sui sponte se in praemonstratam mittat foveam, ut mandatum opus nullo modo efficere possit: — putasne illi quodammodo impotentiam istam ad excusationem valere, cur opus mandatum non faciat....? Imo dupliciter peccavit: non fecit quod peragere jussus est, et quod praeceptum est ne faceret, fecit. —

Injustus ergo est homo, quia non reddit Deo quod debet, et injustus est, quia reddere nequit. Nullus autem injustus admittetur ad beatitudinem (1).

In hisce eatenus laudandam esse censemus Anselmi sententiam, quatenus ipsi homini (collective pro: *generi humano*) suae impotentiae culpam adscripserit. Non vero ejus probanda est enunciatio: „hominem a Deo *justum* esse creatum;” quum nonnisi *innocentia* primis hominibus antequam peccaverant tribui possit. Non opus est porro ut de industria explicemus, in hac Anselmianeae doctrinae parte sacrae scripturae adesse vestigia. Anselmus vero historicis argumentis neglectis deceptus esse videtur, se *omnia* a priori demonstravisse opinans. Hinc explicandum est, quod in fine suae de argumento nostro disquisitionis (Lib. II c. 22) se „sola

(1) *Cur Deus homo* I, c. 24: «Nullus autem justus admittetur ad beatitudinem, quoniam quemadmodum beatitudo est sufficientia, in qua nulla est indigentia, sic nulli convenit nisi in quo ita pura est justitia, ut nulla in eo sit iniquitas.”

ratione non solum Judaeis sed etiam Paganis satisfactio-
nem esse” contendit. Notandum est tamen ex eodem loco
patere, eum obscure sensuisse rem suam non ab omni
parte rationis niti fundamento; additur enim: „si re-
moveantur pauca, quae de libris nostris posuisti.” —
Iis vero remotis tota collaberetur demonstratio. —

Fieri non potuit, quin ab iis, quae Anselmum ex-
posuisse vidimus, maximopere differant ea, quae de
incommodis e peccato profectis Calvinum docuisse con-
stat. Apud hunc non invenitur aprioristica scholasti-
corum demonstrandi ratio, neque ejus placita vagae
ratiocinationis, sed scripturae sacrae nituntur funda-
mento. In quibus tamen historice considerandis nobis
non adeo partes agendae sunt exegeticae, quapropter
non dijudicabimus, utrum hunc illumve S. S. locum
recte attulerit necne.

Calvinus incommoda e peccato profecta non, quem-
admodum Anselmus, ad Deum refert sed ad homi-
nem; nobisque ideo, ut ejus hac de re doctrinam rite
exponamus, *primum* videndum est, quid statuat de
hominis ante lapsum conditione, *deinde* quomodo eam
peccato mutatam esse censeat.

Primus homo a summo Numine e terra et luto for-
matus, atque a Creatore suo donatus spiritu immor-

tali, insuper multa eximiaque dona accepit, quippe qui ad imaginem Dei creatus sit (1).

Dei imaginis notae externae in hominis statura conspicuntur, qua caelum adspicere jussus erectos ad sidera tollit vultus; imago vero ipsa, qua similitudo inter Deum et hominem intercedit, spiritualis est et sedem habet primariam in hominis mente et corde, vel in anima ejusque potentiis. Creatio enim secundum Dei imaginem illam notat integratatem, „qua praeditus fuit Adamus, quum recta polleret intelligentia, affectus haberet compositos ad rationem, sensus omnes recto ordine temperatos, vereque eximiis dotibus opificis sui intelligentiam referret.”

Nondum tamen data est plena imaginis descriptio, nisi clarius patet, quibus facultatibus donatus sit homo et quibus speculum haberi debeat gloriae Dei. In quibus recensendis duas ponit Calvinus animae humanae partes: intellectum et voluntatem (2). Intellectu animam Deus instruxit, quo bonum a malo, justum ab injusto discernat, et quid ipsi secundum vel fugiendum sit rationis luce videret. ($\tau\delta\eta\gamma\mu\alpha\nu\tau\kappa\omega\nu$) Huic adjunxit voluntatem, penes quam

(1) *Instit. Rel. Chr.* I, c. 15, § 1, 2, 3. *Conf. Act.* 7:59;
2 Cor. V:4, 10; Gen. I:26, ceteraque loca ibi citata.

(2) Non vult quidem refellere vulgarem mentis divisionem, qua tria ponuntur agendi principia: sensus, intellectus, appetitus. Alteram vero praeferit quippe simplicissimam et infra omnium capitum positam. *Instit. Rel. Chr.* I, c. 15, § 6. —

est electio. Praeclaris his virtutibus excelluit prima hominis conditio, adeo ut ratio, intelligentia, prudentia, judicium non modo ad terrestris vitae gubernationem suppeterent, sed etiam adscenderent ad Deum et aeternam felicitatem. Deinde accessit electio, quae appetitus dirigeret motusque omnes organicos temperaret, ut voluntas rationi esset prorsus consentanea. In hac integritate versans libero arbitrio pollebat homo, quo, si vellet, adipisci posset vitam aeternam (1).

At non servavit Adamus eam, quam a Deo accepserat, integritatem, sed peccando amisit priorem naturae praestantiam. Hoc Adami peccatum ita describit Calvinus, ut ei omnia fere inesse videantur vitia, ideoque ejus gravitas quam maxime eluceat. Peccavit primus homo *inobedientia*, quum a diabolo se ad mendacium deflecti sinebat. Dei verbum contemnens *infidelitatis* notam in se contraxit. Ex hac autem emerserunt *ambitio* et *superbia*, quibus annexa fuit *ingratitudo*, quod Adamus plura appetendo, quam concessum erat, tantam Dei liberalitatem, qua ditatus erat, indigne sprevit. Dein *prodigiosa* fuit *impietas* parum videri terrae filio, quod ad similitudinem Dei factus esset, nisi accederet aequalitas. Dicitur porro Adami peccatum *apostasia cum foedis in Deum probris con-*

(1) *Ibidem I c. 15.*

juncta. Denique infidelitas ambitioni januam aperuit, ambitio vero *contumaciae* fuit mater, ut homines, abjecto omni Dei metu, sese projicerent quo ferebat libido. — Homo, diaboli blasphemis abreptus, „*quantum in se erat totam exinanivit Dei gloriam*” (1).

Peccatum *totam* Adami occupavit animam, non tantum enim appetitus inferior eum illexit, sed arcem ipsam mentis implevit nefanda impietas et ad cor intimum penetravit superbia. Tots homo „quasi diluvio a capite ad pedes sic obrutus est, ut nulla pars a peccato sit immunis” (2).

Hujus peccati effectus, Calvino judice, non ad solum Adamum est referendus, sed ad totam ejus processit progeniem. Docet enim corruptionem hereditariam, quam *peccatum originale* veteres nuncuparunt, peccati voce intelligentes naturae antea bonae puraeque depravationem. Deinde pluribus argumentis e Sacro Codice petitis probare studet, eam depravationem non imitatione tantum, verum etiam propagatione transmitti per totum genus humanum, quemadmodum e radice putrefacta putridi rami prodire soleant (3).

(1) *Inst. Rel. Chr.* II. c. 1. § 4.

(2) *I. l. § 9.* Hocce Calvini placitum haud ignobilem in sua doctrina locum tenere, quum ab eo magna ex parte renovationis modus pendeat, deinceps clarius patet.

(3) *Instit. Rel. Chr.* II. c. 1 § 5, 6, 7. *Conf. Rom.* 8:22; *Ps.* 51:7; *Job.* 14:4; *Rom.* 5:12; *1 Cor.* 15:22, ceterosque locos ibi citatos.

Peccatum in toto humano genere parit *opera carnis*, omnesque homines *reos reddit irae divinae* (1).

Opera carnis in nobis peccato proferuntur, auctore Calvino: „haud secus atque incensa fornax flam-
mam et scintillas efflat aut scaturigo aquam sine fine
egerit.” Natura igitur nostra post lapsum non tantum
omni bono caret (2), sed malorum omnium est fer-
tilissima. „Totus homo non aliud ex se ipso est quam
concupiscentia, et in locum sapientiae, virtutis, sanc-
titatis, veritatis, justitiae, teterrimae adsunt pestes:
caecitas, impotentia, impuritas, vanitas, injustitia.”

Quum Deo nihil acceptum sit nisi justitia et inno-
centia, non mirum est, si ob talem corruptionem
damnati coram Deo habeamur et ejus judicio obnoxii
facti simus. Per Adami peccatum non tantum ejus
corruptionis, sed etiam ejus damnationis sumus parti-
cipes. Quod non ita est accipiendum, ac si injuste
nobis culpam alienam infligat Deus; propagatione
enam ad nos defertur corruptio, eamque non sequi

(1) *Ibidem* § 8.

(2) Hac in re sibi non semper constat Calvinus; in opere Iau-
dato lib. II, cap. 2, § 12: «Cum (inquit) ergo ratio, qua disser-
nit homo inter bonum et malum, qua intelligit et judicat, *naturale*
donum sit, non potuit in totum deleri, sed partim debilitata, par-
tim vitiata fuit, ut deformes ruinae appearant;” — et in annota-
tione ad Joh. 3:6: «certum est in hoc degenere vitiataque natura
manere tamen aliquid donorum Dei residuum, unde sequitur non
omni ex parte nos esse perversos.” Conf. Schenkel l. l. II, p.
39 sq.

non potest Dei ira. Omnes involuti sumus originali peccato, ejusque maculis inquinati; imo ipsos infantes suam secum damnationem a matris utero afferre putat Calvinus, suo ipsorum vitio obstrictos et semen iniuritatis inclusum habentes. Unde facile intelliges omnes Deo esse „odiosos, abominabiles.” —

Exposuimus Anselmi et Calvini doctrinam de incommidis e peccato profectis. Quantum eorum placita de hoc argumento differant, vix opus est ut paucis indicemus. Anselmus omnia peccati incommoda ad Deum refert: *Deo* erexit honor, *Dei* irrita facta sunt consilia. Calvinus vero praesertim *hominem* spectat (1), ejusque, quippe irae divinae subjecti, miseriam. Quum quidem locum haud neglit Anselmus, sed apud eum non memoratur hominis perditio, nisi quatenus ea Deum a proposito suo peragendo retineat.

Discrimen hocce imprimis inde explicandum esse, quod Calvinus Codicem sacrum doctrinae fontem habuerit, Anselmus vero doctrinae suae fundamentum partim ex Augustini scriptis desumserit, partim ipse ex cogitaverit, ut deinde demonstraret „cur Deus homo” factus sit: ex iis, quae supra diximus, satis patere vi-

(1) Verbo tantum memorat, quod «Adamus totam naturae ordinem perverterit in caelo et in terra,” *Inst. Rel. Chr.* II c. 1 § 5. *Conf. Gen.* 3:17; *Rom.* 8:22. —

detur. *Diversus* porro utriusque *finis* in iis, quae consideravimus, luculenter appetet, quum scholastici subtilis argumentandi ratio de rebus, quarum cognitio hominum captum superat nec vitae usui adaptata est, haud paullum differat a Calvini historica enarratione de hominis conditione ante et post lapsum. Eadem inter scholasticos et reformatores adesse videtur ratio, quam Cicero inter antiquiores Graeciae philosophos et Socratem adesse censem, adeo ut optime de Calvino quoque valeat sententia: (Theologiam) „de vocavit e caelo, et in urbibus collocavit, et in domos etiam introduxit, et coegit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere” (1).

(1) Cicero, *Tuscul.* *Disput.* V, 4. —

CAPUT SECUNDUM.

ANSELMI ET CALVINI SENTENTIAE DE CAUSA,
OB QUAM DEUS OCCURRAT PECCATO
EJUSQUE INCOMMODIS.

Vidimus ex Anselmi sententia mutationes, e peccato in rerum ordinem profectas, Deum aliquatenus honore suo privasse, ejusque proposita, ut angelorum numerum hominibus perficeret et ipsos homines bearet, ad inanes conatus reduxisse. Hoc loco nobis indagandum est, quid scholasticus statuat de causa, ob quam iis incommodis occurrat Deus.

Quum hominum peccato Deus impeditus esset, quominus eos redderet beatos, in promptu est quaestio, num Deus pro *misericordia* suâ peccata illa condonatus sit. Huic quaestioni *negando* respondet Anselmus, plura afferens argumenta, quibus sententiam suam confirmet. Referri possunt ea ad duo rerum

capita, ad Dei dignitatem et ad Dei justitiam, quibus pariter obsisteret talis misericordia.

a. Deum non decet aliquid in regno suo inordinatum dimittere. Peccatum vero, nisi adsit satisfactio, ut recte „ordinetur” puniri debet. Non igitur decet Deum peccatum impunitum dimittere.

Deinde peccatum, si solā misericordiā dimitteretur, nulli legi subasset, ipsique Deo similis esset injustitia, nullius quippe legi obnoxio (1).

Denique „si dimittit Deus id, quod sua sponte reddere debet homo, propterea quia reddere non potest, quid est aliud, quam quod Deus dimittat id, quod habere non potest? Sed derisio est, ut talis misericordia Deo attribuatur” (2).

b. Si impunitum dimitteret Deus peccatum, eadem prorsus ratione coram eo se haberent peccantes et non peccantes, quod Deo justissimo non convenire perspicuum est (3).

Impotentiam hominis reddendi Deo quod ei debeat,

(1) *Cur Deus homo* I c. 12. „Justitiam hominum nemo nescit esse sub lege, ut secundum ejus quantitatem mensura retributio-
nis a Deo recompensemetur. Si autem peccatum nec solvit, nec
punitur, nulli legi subjacet. Liberior igitur est injustitia si sola
misericordia dimititur, quam justitia, quod valde inconveniens
videtur. Ad hoc etiam extenditur haec inconvenientia, ut injusti-
tiam Deo similem faciat; quia sicut Deus nullius legi subjacet, ita
et injustitia.”

(2) *Lib.* I. c. 24.

(3) *Lib.* I. c. 12.

non excusare ejus peccatum sed culpam augere Anselmo judice, in superiori capite vidimus. Si ergo propter hanc impotentiam dimitit Deus debitum, non tantum poenam relaxat, sed beat hominem propter peccatum, sive quia aliquid habet, quod habere non debet. Talis vero misericordia, quae Dei prorsus everteret justitiam, admitti non potest (1).

Solâ igitur misericordiâ Deus commoveri non potest ad tollendum incommodum, quo hominis perturbatur felicitas; sed alia requiritur causa, cur Deus huic incommodo ceterisque, quae diximus, occurrat. Haec autem causa, Anselmo docente, est *necessitas*, eaque necessitas triplex: necesse est enim ut Deus honorem suum recuperet (2); ut angelorum numerus perficiatur (3); ut homo beatitudinis fiat particeps (4).

Talis vero necessitas quominus Deo tribuatur, im-

(1) *Lib. I. c. 24.*

(2) *Lib. I. c. 13.* «Nihil servat Deus justius, quam suee dignitatis honorem. — Non integre eum servat, si sic auferri sibi permittit, ut nec solvatur, nec ipse auferentem puniat. — Necesse est ergo, ut aut ablatus honor solvatur, aut poena sequatur; alioquin aut sibi ipsi Deus justus non erit, aut ad utrumque impotens erit, quod nefas est vel cogitare.” —

(3) *Lib. I. c. 16.* «Aut restaurandus est ex necessitate numerus angelorum, aut in imperfecto numero remanebit rationalis natura, quae in numero perfecto praescita est, quod esse non potest. — Necesse est ergo eos de humana natura, quoniam non est alia, de qua possint restaurari.”

(4) *Lib. II. c. 4.* «Necesse est, ut de humana natura perficiat Deus, quod incepit.” —

pedire videtur tum *libertas*, tum *misericordia*, quae ei vindicari solent, eique vindicare voluit Anselmus. Quomodo autem auctor noster hanc necessitatem conciliare studeat cum Dei libertate ac misericordia, singulatim enarremus.

a. Mirum omnino videri debet, quod ab una parte „Deus sic sit liber ut nulli legi, nullius subjaceat iudicio, et nihil sit rectum aut decens, nisi quod ipse vult;” ab altera vero parte ei non *liceat* dimittere peccata, et adsit *necessitas* quaedam, quâ consilia sua non perficere *non possit*. Vide, quomodo hunc nodum solvere conatus sit Anselmus!

Libertatem Dei accipit non absolutam sed *ratione*, *dignitate* et *convenientia* definitam. Libertatem ei concedit non nisi ad id quod expedit, aut quod decet. Ea, quae vult Deus, justa sunt; quae non vult non justa sunt; hoc vero non ita intelligendum est, ut, si velit Deus quodlibet inconveniens, id justum sit quia ipse vult. Non enim sequitur ex hypothesi quod Deus mentire velit, justum esse mendacium, sed potius illum non esse Deum.

Ne vero putes, ex Anselmi sententia Deum legi cui-dam morali subjectum esse; Deum enim ipsum sibi legem esse putat. Omne mendacium, sicut omne inconveniens, a Dei natura abhorret, et si dixeris: „si Deus vult mentiri,” eodem id reddit ac: „si aqua est sicca et ignis est humidus.” Neutrum verum est. Dei igitur dici tantum potest: „si Deus hoc vult jus-

tum est," quae Deum velle non est inconveniens. Si vult Deus, ut pluat, justum est, ut pluat; si vult, ut aliquis homo occidatur, justum est, ut occidatur; non vero ad ejus libertatem aut voluntatem pertinet: peccantem, qui non solvit Deo quod abstulit, impunitum dimittere (1).

Quemadmodum Deo libertatem absolutam negat Anselmus, ita etiam contendit de Dei *necessitate* non esse sermonem nisi *improprie*. Tum Dei libertas, tum ejus necessitas ipsius *voluntati* subjiciuntur, eaque voluntas nulli subdita est necessitati aut impossibilitati. Notandum autem est hisce non omne vinculum negari, quo Dei voluntas retineatur, ipsâ enim Dei immutabilitate semper sibi constare debet ejus voluntas. Deo denegatur omnis faciendi necessitas, aut non faciendi impossibilitas, quia sola in eo operatur voluntas eaque immutabilis.

Quaerat quis, quo igitur sensu de Dei *necessitate* saepius loquatur Anselmus, quum ex iis, quae modo diximus, patere videatur, eum talem necessitatem quod ad Deum attinet prorsus negare. Ipse respondeat: „cum dicimus aliquid necesse esse aut non esse in Deo, non intelligitur, quod sit in illo necessitas aut cogens aut prohibens, sed significatur, quod in omnibus aliis rebus est necessitas prohibens eas facere et

(1) *Lib. I. c. 12.* Subintelligitur peccatoris poenâ Dei honorem restitui posse. Id docet Anselmus, *Libri I cap. 14.* *Conf. infra cap. III.*

cogens non facere, contra hoc quod de Deo dicitur. Nam cum dicimus, quod necesse est Deum semper verum dicere, et necesse est eum nunquam mentiri, non dicitur aliud, nisi quia tanta est *in illo constantia servandi veritatem*, ut necesse sit, nullam rem facere posse, ut verum non dicat, aut ut mentiatur” (1).

Quum ergo ab Anselmo Dei libertas nonnisi ad ea quae decent referatur, Dei vero necessitas non intelligatur nisi eatenus, quatenus sua ipsius voluntate sanctissima terminatur, eas prorsus convenire cuivis concedendum est. Quod porro scholasticus contendit Deo non licere peccatorem impunitum dimittere, pariter concedere debebis, si (cum Anselmo) Dei honorem peccato auferri censueris.

b. Nec minus Dei *misericordiae* ejus necessitas opposita videtur. Si enim non nisi necessitate vitandi ea quae non decent, Deus salutem curat humanam, non negari potest eum id agere ipsius potius quam nostrum causâ. Quaenam igitur gratia Deo debetur pro eo quod propter se perpetravit?

Ad hanc difficultatem tollendam Anselmus distinguit inter necessitatem, qua gratia aufertur aut minuitur, et inter necessitatem, qua major beneficio gratia debetur. „Cum enim aliquis ea necessitate, cui subjacet invitus, benefacit aut nulla aut minor illi gratia

(1) *Lib. II, c. 18^a*.

debetur. Cum vero ipse se sponte necessitati benefaciendi subdit, nec invitus eam sustinet, tunc utique beneficii gratiam meretur majorem. Non enim haec est dicenda necessitas, sed gratia; quia nullo cogente illam suscepit ac servat, sed gratis" (1).

Comparatur deinceps Deus cum aliquo, qui sponte „vovit sanctae conversationis propositum." Non decet talem a proposito suo abire, imo *necessus est* ut illud votum servet, nisi vult in se contrahere apostatae notam. Haec necessitas vero non impedit, quomodo magnam coram Deo mereatur gratiam, si nempe non perseverat invitus. Initio enim non tantum vitam communem, sed omnem etiam cupiditatem in mundum redeundi sua sponte abjuravit idque Dei causa; et sancte vivere dicendus est non ex necessitate, sed eadem quam vovit libertate. — Haud alia, Anselmo judice, Dei erga nos est ratio. Initio Deus hominem non creavit propter se, quippe nullius egens, sed propter nos. Praevidens, quid peccando facturus esset homo, nihilominus pro *bonitate* sua eum creando sponte se „quasi obligavit" ut perficeret inchoatum bonum. „Necessus est igitur, ut bonitas Dei propter immutabilitatem suam perficiat de homine quod incepit, quamvis totum sit *gratia* bonum, quod facit" (2).

Si hoc modo rem spectamus, videtur omnino Dei necessitas cum ejus misericordia haud pugnare. Notandum

(1) *Lib.* II. c. 5.

(2) *Ibidem. Conf. Lib.* I. c. 3, 12 et *Lib.* II. c. 20.

est tamen, Anselmum ut libertatem, sic etiam misericordiam Dei haud absolutam cogitare, idque indicari ipsâ quam affert comparatione. Monachus enim licet non invitus votum servet, quodam tamen vinculo ad illud servandum tenetur; eodemque modo Deus, licet sponte hominem beandum esse decreverit pro sua tamen immutabilitate eum beare *debet*. Benignitas, quae aliquid Deo indecens operatur, Anselmo judice, benignitas non est dicenda (1); et vidimus in hujus capitinis initio, quomodo Dei misericordiam ejusdem dignitate et justitiâ determinaverit.

Deus igitur, si Anselmo fides habenda est, non gaudet *absolutâ* vel libertate vel misericordia, sed aliquatenus liber, aliquatenus benignus habendus est, ne tollemus ejus justitiam, dignitatem, immutabilitatem. Provocatio ad decretum Dei ante hominis creationem difficultatem retrahit, non tollit. Si enim Deum pro bonitate sua hominem creasse contendas, licet praevideret hominis peccatum, obstat quaestio: nonne Deus, quemadmodum bonitate sua ad hominem creandum motus sit, justitia sua et dignitate aequem commoveri debuisse ad hominem non creandum? Anselmus vero id omittere videtur, quum in Lib. I Cap. 5 se probavisse putaret, peccatorem Deo honorem non auferre (2).

(1) *Lib. I. c. 12.*

(2) Vide quae hac de re in capite superiori monuimus. — Recte Schenkel, *Wesen des Prot.* I p. 236. «Obwohl im

Hisce Anselmi placitis opponamus ea, quae de eodem argumento statuit Calvinus.

Incommoda e peccato profecta ad Deum refert Anselmus, ad hominem vero Calvinus. Ut supra (Cap. I) vidimus, hic a peccato ortam esse docuit hominis corruptionem moralem, qua profert opera carnis et factus est irae divinae reus.

Quaeritur, quaenam sit causa cur Deus hisce occurrat incommodis, et denuo in promptu est quaestio, num Deus pro *misericordia* sua condonaturus sit hominis peccata. Huic quaestioni *affirmando* respondet Calvinus, eamque sententiam et paucis explicare et contra dubitationem defendere conatur. De singulis singulatim videamus.

a. Licet jure habeamur filii irae, et Deus, ipse summa justitia, iniquitatem quam in nobis omnibus conspicit, amare non possit, simul tamen clementissimus est pater. „Quia quod suum est in nobis perdere non vult, adhuc aliquid invenit quod pro sua benignitate amet. Ut cunque enim peccatores vitio nostro simus, manemus tamen ejus creaturae; ut cunque mortem nobis adsciverimus ipse tamen nos ad vitam considerat. Sic mera et gratuita nostri *dilectione* excitatur

Grunde Gott von seiner Ehre nichts verloren hat: müsz sie dennoch hergestellt worden. Wie kann aber hergestellt werden, was im Grunde nicht verloren gegangen ist? Von hier aus betrachtet beruhet die Anselmische Genugthuungslehre auf einem dialektischen Schein.” Conf. porro Baur, *l. l.* p. 172. Franck, *l. l.* p. 236. —

ad nos in gratiam recipiendos” (1). — Quum a nobis, quippe peccatoribus, Dei justitia abhorreat, in Christo cum Deo reconciliati sumus, hanc vero reconciliationem Deus pater praevenit ac antevertit sua dilectione. Quia prius diligit, postea nos sibi reconciliat. *Plena* vero et *firma* non est nostra cum Deo conjunctio, nisi per Christum fiat; eo usque manet nostra iniquitas, quae Dei movet indignationem et coram eo maledicta ac damnata est (2).

b. Cum Calvini placito Deum mera sua benigni-

(1) Eph. I : 4; Joh. III : 16; 1 Joh. IV : 19. —

(2) *Lib. II c. 16 § 3 et 4;* ubi ad doctrinam suam confirmandan Calvinus hunc Augustini assert locum: « Incomprehensibilis ac immutabilis est Dei dilectio. Non enim ex quo ei reconciliati sumus per sanguinem Filii ejus coepit nos diligere, sed ante mundi constitutionem dilexit nos, ut cum ejus unigenito etiam nos filii ejus essemus, antequam omnino aliquid essemus. Quod ergo reconciliati sumus per mortem Christi non sic accipiatur, quasi ideo nos reconciliaverit ei Filius, ut jam amare inciperet quos oderat: sed jam nos diligenti reconciliati sumus, cum quo propter peccatum inimicitias habebamus. Quod utrum verum dicam attestetur Apostolus: « Commendat (Rom. V : 8) dilectionem suam ergo nos, quoniam quum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.” Habebat itaque ille erga nos charitatem, etiam quum inimicitias adversus eum exercentes operaremur iniquitatem. Proinde miro et divino modo et quando nos oderat, diligebat. Oderat enim nos, quales ipse non fecerat, et quia iniquitas nostra opus ejis non omni ex parte comsumperat, noverat simul in unoquoque nos irum et odisse quod feceramus et amare quod fecerat.” — Augustini *Tractatus in Evang. Joh.* CX : 6. —

tate esse motum, ut nostram curet redemtionem, ejusdem pugnare videtur sententia, Deum quippe justum judicem ob peccata nostra ad vindictam armatum esse, nobisquè fuisse inimicum, donec per Christum nobis reconciliatus sit (1). In iis inesse repugnantiae speciem ipse animadvertis Calvinus.

Ad hunc nodum expediendum locutiones: Deum nobis iratum, inimicum esse, rell. *ad sensum nostrum* dicit esse *accommodatas*, ut melius intelligamus, quam misera sit et calamitosa extra Christum nostra conditio. „Nisi enim claris verbis diceretur, iram ac vindictam Dei mortemque aeternam nobis incubuisse, minus agnosceremus quam miseri essemus sine Dei misericordia et beneficium liberationis minoris aestimaremus. Quoniam non potest animus noster vitam in Dei misericordia vel satis cupide apprehendere vel quae decet gratitudine excipere, nisi formidine irae Dei et aeternae mortis horrore ante perculsus et consternatus: sic instituimus sacra doctrina, ut sine Christo Deum nobis quodammodo infestum cernamus et ejus manum in exitium nostrum armatam, benevolentiam ejus paternamque charitatem nonnisi in Christo amplexemur” (2).

(1) Rom. 5:10; Gal. 3:10. 13; Col. 1:21, 22.—

(2) *Lib. II. c. 16 § 2.* — « Audiat aliquis: si te quo tempore adhuc peccator eras, odisset Deus et te abjecisset, ut eras meritus, horribili exitium te manebat: sed quia sponte ac gratuita sua indulgentia te in gratia retinuit, nec alienari a se passus est, eo periculo sic te liberavit: afficietur quidem et sentiet aliqua ex parte quantum debeat misericordiae Dei. Verum audiat rursum quod

Quae quomodo valere possint ad difficultatem, qua Dei misericordia ejusdem justitiae (irae) repugnare videatur, tollendam equidem non video. Valerent omnino si hisce formulis, quippe „ad sensum nostrum accommodatis” indicaretur: Deum *revera nobis non* fuisse vel esse inimicum, sed scriptores sacros iis vocibus non usos esse, nisi ut Dei in Christo beneficium majoris aestimaremus. Quominus autem id ita accipiamus prohibet diserta Calvini enunciatio: „Atque hoc tametsi pro captus nostri infirmitate dicitur, non tamen falso.” Hoc autem ipso tota argumentatio, qua hunc nodum expedire stu-

scriptura docet se alienatum fuisse a Deo per peccatum, haeredem irae, mortis aeternae maledictioni obnoxium, exclusum ab omni spe salutis, extraneum ab omni benedictione Dei, Satanae mancipium, sub peccati jugo captivum, horribili denique exitio destinatum et jam implicitum: hic Christum deprecatorem intercessisse, poenam in se recepisse ac luisse quae ea justo Dei judicio peccatoribus omnibus imminebat: mala, quae Deo exosos illos reddebat, sanguine suo expiasse: hoc piaculo satisfactum ac rite litatum Deo patri esse: hoc intercessore iram ejus fuisse placatam: hoc fundamento pacem Dei cum hominibus esse submixam: hoc vinculo benevolentiam illius erga ipsos contineri: his nonne eo magis permovebitur quo melius ad vivum repraesentatur quanta e calamitate ereptus fuerit?” — Conf. Calvinii annotatio ad Joh. XV : 13. «Potuit nos verbo et nulu redimere, nisi aliter nostrā causā vi sum esset;” et ad 1 Joh. IV : 9: «Quum dicitur Christus plas casse nobis Patrem, hoc ad sensum nostrum resertur. Nam ut sumus male nobis consciī, Deum non nisi iratum et infestum cognoscere possumus. Ergo quod ad fidei nostrae sensum Deus nos amare incipit in Christo.” — Conf. Scholten, *Leer der Hervormde Kerk* I d. 293 sq. (Edit. I,) p. 329 sq. (Edit. II,) et quae porro ibi citavit Calvini loca. —

det Calvinus, evertitur, et remanet quaestio: quomodo Sacrae Scripturae doctrina de Deo irato et *simul* benigno sibi possit constare (1)?

Anselmi et Calvini sententiis de causa, ob quam Deus peccato ejusque incommodis occurrat, secum invicem comparatis cernimus, eas quam maxime a se invicem discrepare. Anselmus *necessitatem* totius redemptionis posuit fundamentum: at necessitatem in Dei natura fundatam et eatenus ejus libertati haud contrariam. Haec autem necessitas nititur Dei justitia, dignitate, immutabilitate, non sinentibus ipsi honorem suum auferri ejusque consilia non perduci ad effectum; et miseri-

(1) Schenkel in opere laud. I p. 251. «Calvin, (inquit) war viel zu scharfer Denker, um entweder einen absolutem Widerspruch, wie Zorn und Liebe, in das Wesen Gottes selbst zu verlegen, oder sich zu der Annahme zu bequemen, es sei im Verlaufe der Zeit mit dem göttlichen Wesen eine Veränderung vorgegangen, so dasz aus demselben Gott, der früher ein Zornsgott gegen uns gewesen, allmälig ein Gott der Liebe für uns geworden.» In quibus nimiā laude affici puto Calvinum. Non mirum vero, quod repugnantiam, quae apud Calvinum invenitur, minus attenderit clar. Schenkel, ipse enim in eandem repugnantiam incidisse videtur. Conf. p. 241: «Gott ist im Urgrunde seines Wesens ein Anderer, als er in der Offenbarung seines Wesens ist;» et p. 242. «In so fern die urgründliche Liebe Gottes aus sich herausgeht, oder sich offenbart, wird sie ein Anderes so wohl für Gott, als für den Menschen.» Et quae sequuntur. —

cordia Dei cum iis conjungitur statuendo Deum ad ea consilia capienda ipsa misericordia fuisse motum. Quibus factum est, misericordiam, licet a redemtionis causa non prorsus se jungatur, inferiorem tamen occupare locum, et in causis, ob quas Deus agat, maxime spectari ejus dignitatem, justitiam, immutabilitatem. Difficultatem vero, quod ita *propter se* Deus hominem beare videatur, ab Anselmo non prorsus sublatam esse supra vidimus.

Huic demonstrandi rationi Calvini doctrina prorsus opposita est. Calvinus praecipue, imo unice, *misericordiae* locum concedit in causis, ob quas Deus hominum curat salutem eoque occurrit incommodis, quae e peccato originem duxerunt. Deus homini non succurrere illi videtur (quemadmodum Anselmo) *propter suam dignitatem, justitiam, immutabilitatem*; non *propter se*, sed *propter hominem*. Unde explicandus est diversus modus, quo uterque Dei justitiam et misericordiam secum invicem conciliare studet: Anselmus enim probare conatur Dei justitiam non repugnare ejus misericordiae, Calvinus vero misericordiam non repugnare justitiae Dei.

Porro in dijudicandis utriusque placitis de causa, cur Deus occurrat peccato ejusque incommodis, tenendum est, Calvini doctrinam, licet ab omni difficultate non immunem, sui tamen juris habendam esse, quippe Sacra Scriptura nitentem fundamento. Ubi in S. S. investiganda talia invenit dogmaticus, quae sibi non videantur congruere, ea hanc solam ob causam

rejicere ei non licet, quum *et* cogitari possit meliore interpretatione adhibita intellectum iri locos difficiliores, *et* fortasse argumentum humanae intelligentiae limites superare habendum sit. Non ita vero judicandum est de demonstratione philosophâ, omnia a priori construente. Talis enim demonstratio unice cogitatorum consequentia se commendare potest, quae si desideratur tota collabitur ratiocinatio.

Denique in hacce doctrinae parte eatenus luculenter patere videtur discrimen inter scholasticam et reformatoriā demonstrandi rationem, quatenus haec vitae practicae, illa vero scholasticae exercitationi magis inservit. Anselmi enim placitum de causa, ob quam Deus incommodis e peccato profectis occurrat, vitae non adaptatum esse ex eo jam constat, quod nullam in ea consideranda hominum habet rationem, sed solam Dei naturam spectans prorsus neglit amoris et misericordiae vinculum, quod Calvinus inter Deum et hominem adesse docet.

Quamnam vero vim diversa eorum sententia de causa, ob quam Deus in hisce agat, habuerit in eorum doctrinam de modo, quo peccati incommoda sustulerit Deus, in sequenti capite videbimus.

CAPUT TERTIUM.

ANSELMI ET CALVINI SENTENTIAE DE MODO,
QUO DEUS OCCURRAT PECCATO EJUSQUE
INCOMMODIS.

Ut de hoc arguento rite eorum explicemus doctrinam, attendamus primum quid ex Anselmi et Calvini sententiis agendum sit ut peccatum ejusque incommoda tollantur. Deinceps eorum considerabimus placitum, secundum quod nemo praeter Θεάνθρωπον ea tollere posset incommoda. De utroque arguento singulatim Anselmi et Calvini doctrinas exponemus et secum invicem comparabimus.

§ I.

Quid Anselmo et Calvino judicibus agendum sit ad peccatum ejusque incommoda tollenda.

Quum ex Anselmi sententia Deo adsit necessitas

recuperandi amissum suum honorem, requiritur ali-
quod remedium, quo haec tolli possit inconvenientia.
Videamus igitur quid docuerit scholasticus de peccatoris
peena, honorem Dei restituente.

Honorem, quem a nobis exigit Deus, ut supra vi-
dimus, „efficit nostrae voluntatis voluntati divinae sub-
jectio.” Quam obedientiam si Deo recusat peccator,
Deus eum poena afficere potest. Poenâ „Deus eum
invitum sibi torquendo subjicit, et sic se Dominum
ejus esse ostendit, quod ipse homo voluntate fateri
recusat.” Homo, dum punitur, solvit quod rapuit: pec-
cando Dei rapuit honorem: puniendo Deus ei aufert
beatitudinem (1). Auferendi illâ actione Deus probat
peccatorem sibi esse subjectum, et peccator, cum prop-
ter peccatum beatitudine et omni bono privetur, quam-
vis invitus, Deo tamen suum reddit honorem.

Licet vero per poenam peccatoris Dei honor resti-
tutus foret atque eatenus ejus fieret voluntas, ab
altera tamen parte Deus, peccatorem puniens, ipsius
voluntati obversaretur. Constituit enim, ut supra
vidimus, et angelorum numerum hominibus esse
augendum et hominem ipsum beandum esse. Si vero

(1) *C.D. h., Lib. I. c. 14.* «Quippe non solum id ipsum alicujus es-
se dicitur, quod jam possidet, sed quod in ejus potestate est ut habeat.” —
— «Deus ad usum sui commodi non transfert id, quod aufert
(sicut homo pecuniam, quam alii aufert in suam convertit utilita-
tem); hoc tamen quod aufert, utitur ad suum honorem per hoc,
quia aufert.” —

poenam subit peccator ejus evertetur felicitas, neque angelus fieri poterit. Unde sequitur, hominem peccatorem a Deo puniri non posse.

Quum igitur poenae, qua Deus ab *invito* homine suum honorem recuperet, locus non concedatur, et Deo tamen suus honor debeat restituī; restat, ut honorem illum reddat homo debiti solutione *spontanea*, sive *satisfactione* (1).

Satisfactionem simul requirit Dei propositum, hominibus angelorum supplendi numerum. „Non decet Deum, hominem peccantem sine satisfactione ad restorationem angelorum assumere perditorum, quoniam non patitur veritas eum levari ad aequalitatem bonorum.” Fac divitem aliquem in manu tenere margaritam pretiosam, ut eam recondet in thesaurum suum, cui insunt pretiosissima, quae possidet. Si vero margarita illa ceciderit in coenum, num dives ille eam coeno pollutam et non lotam in thesaurum suum mundum depositurus est? Non talem deponet sane, si sapiens erit.—Eadem vero ratione ageret Deus, si hominem peccati sorde maculatum sine ulla lavatione, „*id est sine omni satisfactione*,” in paradisum, e quo ejectus fuerat, reduceret. „Sine satisfactione igitur, id est, sine debiti solutione spontanea Deus non potest peccatum impunitum dimittere.”

(1) *Lib. 1. c. 13.* «Necesse est, ut aut ablatus honor solvatur, aut poena sequatur.”

Denique requiritur satisfactio, ut homo ad talem perveniat beatitudinem, qualem habuit antequam peccavit. Deo adest necessitas ut de humana natura perficiat quod coepit, hoc autem fieri nequit nisi per integrum peccati satisfactionem (1).

Constat ergo ex Anselmi sententia sola *satisfactione* peccatum ejusque incommoda deleri posse. Sequitur ut indagemus, qualis Anselmo judice haec debeat esse satisfactio.

Primum quidem *Deo reddi debet aliquid secundum mensuram peccati*. Satisfactionem fieri debere secundum mensuram peccati, inde sequitur, quod ceteroquin inordinatum maneret peccatum; nihil enim inconveniens Deus in regno suo admittere potest (2).

Deinde *Deo reddi debet plus quam abstulit homo*. Non sufficit, ut homo tantum reddat Deo quantum abstulit, insuper aliquid reddere debet „pro contumelia illata.” Id placitum Anselmus confirmare studet monendo, quod in rebus humanis non sufficiat restituere salutem alicujus, quem laeseris, nisi pro illata doloris injuria aliquid recompensetur, aut alicui reddere honorem, quem violaveris nisi addas aliquid quod illi placeat. — At ipsi non concedendum est tale quid in rebus divinis valere *properea*, quod in rebus humanis non sit incongruum; ne dicam a Dei natura prorsus ab-

(1) *Lib. I. c. 19. Lib. II. c. 4.* —

(2) *Lib. I. c. 20.*

horrere, quod „aliquid ei recompensetur pro illata doloris injuria“ (1).

Tertio putat Anselmus *Deo reddi debere aliquid infiniti pretii*. Id quidem eo monente inde sequitur, quod peccatum sit infinitum et Deus, ut supra vidimus, requirat satisfactionem secundum mensuram peccati. Peccatum esse infinitum Anselmus non adeo demonstrare studet logicis argumentis, sed provocando ad sensum religiosum, cui quodvis peccatum horrendum scelus videri debeat (2). In hisce vero inest

(1) *Lib. I. c. XI.* Vide, quod de hoc arguento monuit Franck *I. l. p. 213*: «Charakteristisch spricht sich der Geist des Mittelalters darin aus, dasz uns auch auf theologischem Gebiete dieselben Begriffe von Ehre und Satisfaction begegnen, wie sie in den Händeln der Ritter und Helden eine so grosze Rolle spielen.— Wie auf Erden der Fürst immer zugleich der erste Ritter und Held sein wollte, und daher auch leichte Uebertretungen schon als Majestätsbeleidigung und Verletzung seiner Persönlichkeit zu betrachten pflegte: so muszte noch weit mehr der Fürst der Fürsten streng auf Ehre und Satisfaction halten. Er ist daher ganz richtig, dasz Anselm gleich anfangs den Kanon aufstellt: Gott könne erst dann gehörig befriedigt sein, wenn ihm nicht blosz die geraubte Ehre wiederhergestellt, sondern auch für die erlittene Smach gleichsam Schadenersatz gegeben werde. Wirklich ist dem strengen Begriff der Genugthuung das letztere Moment wesentlich, nur zeigt sich sogleich die Incongruenz, wenn Anselm diesen Begriff auf rein moralische Verhältnisse überträgt, denn sittlich betrachtet wäre ein solcher Ersatz sowohl unmöglich als unnütz.”

(2) *Lib. I. cap. 21.* Anselmus cum Bosone colloquens eum hoc modo convicit «quanti ponderis sit peccatum.”

repugnantia, quam non observasse videtur Anselmus; si enim hominis peccatum *infinitum* habetur, Deo non reddi poterit *plus quam abstulit homo*. Id autem in argumento praecedente necessarium statuit.

A n s e l m u s. Si videres te in conspectu Dei et aliquis tibi dicceret: aspice illuc! et Deus econtra: nullatenus volo ut aspicias; quaere tu ipse in corde tuo, quid sit in omnibus quae sunt, pro quo deberes contra voluntatem Dei illum aspectum facere? —

B o s o. Nihil invenio, propter quod hoc debeam; nisi forte sim in ea necessitate positus, ut sit necesse, me aut hoc aut majus peccatum facere.

A n s e l m u s. Remove hanc necessitatem; et de solo hoc peccato considera, si possis illud facere pro te ipso redimendo.

B o s o. Aperte video, quia non possum.

A n s e l m u s. Ne te diutius protraham: quid si necesse esset aut totum mundum et quidquid Deus non est perire et in nihilum redigi aut te facere tam parvam rem contra voluntatem Dei?

B o s o. Cum considero actionem ipsam, levissimum quiddam video esse; sed cum intueor quid sit contra voluntatem Dei, gravissimum quiddam et nulli damno comparabile intelligo; sed solemus aliquando facere contra voluntatem alicujus non reprehensibiliter, ut res ejus serventur; quod postea illi placet, contra cuius voluntatem facimus.

A n s e l m u s. Hoc fit homini, qui aliquando non intelligit, quid sit sibi utile, aut non potest restaurare quod perdidit; sed Deus nullo indiget, et omnia si perirent posset sicut ea fecit restituere.

B o s o. Fateri me necesse est, quia pro conservanda tota natura nihil deberem facere contra voluntatem Dei.

A n s e l m u s. Quid si plures essent mundi pleni creaturis sicut iste est?

B o s o. Si infinito numero multiplicarentur et similiter mihi ostenderentur, id ipsum responderem. — — — —

Tandem Anselmo judice *homo aliquid Deo reddere debet, quod ei non deberet etiamsi non peccasset.* — Id per se patet; quod enim alicui debes, hujus non tuum est, neque id ei dare poteris ut aliud solvas debitum (1).

Calvini doctrina de incommodis e peccato profectis ut *supra* vidimus, huc fere redit, hominem secundum imaginem Dei creatum peccando factum esse obnoxium corruptioni morali, suamque amisisse felicitatem. Deus autem pro clementia sua eum redimere voluit. *Hoc* igitur *loco* nobis exponendum erit, quid ex Calvini sententia agendum sit, ut tollantur incommoda e peccato profecta, sive ut homo redimatur.

Ad nostram redemtionem, eo docente, primum pertinet ejusmodi *restitutio in gratiam Dei*, qua „ex filiis hominis siamus Dei filii, ex haeredibus gehennae regni caelestis haeredes.” Morti, peccato, mundi et aeris

A n s e l m u s. Sic graviter peccamus, quotiescumque scienter aliquid quamlibet parvum contra voluntatem Dei facimus; quoniam semper sumus in conspectu ejus et semper ipse praecipit nobis ne peccemus.

B o s o. Ut audio nimis periculose vivimus.” — Conf. Lib. II. c. 14. Ubi Boso: «Unum inquit, (quod putamus levissimum) peccatum tam *infinitum* monstras, ut si numerus obtendatur infinitus mundorum, qui sic pleni sunt creaturis, sicut iste est, nec possint servari quin redigantur in nihilum, nisi faciat aliquis asperatum unum contra voluntatem Dei, non tamen fieri debeat.” —

(1) Lib. I. c. 11. Lib. I. c. 20.

potestatis subjectus erat homo; mors igitur absorbenda erat, peccatum vincendum, mundi et aeris potestates erant profligandae. Restituenda erat pax inter Deum et hominem.

Alterum nostrae redemtionis caput est: *satisfactio judicio Dei*. Homo, qui sua se inobedientia perdiderebat, remedii loco obedientiam opponere, poenas peccati persolvere debebat (1).

Vides Calvinum id imprimis necessarium habere, ut arctius evadat nostrum cum Deo vinculum, sive ut reducamur ad Deum, a quo „quasi interjecta internos et ipsum nube” alienati sumus. Propterea mors, peccatum ceteraque, quae nos a Deo remotos tenent, delenda sunt. Satisfactio autem secundum tantum locum obtainere videtur.

Optime haec Calvini sententia congruit cum ejus, quod in capite praecedente explicavimus, placito de causa, ob quam Deus incommoda tollit e peccato profecta. Ibi vidimus, Deum misericordia fuisse motum, ut hominem redimeret; et hoc loco Calvinus docet redendum esse hominem praecipue removendo omni dissidio inter eum et Patrem clementissimum. At non vult statuere Calvinus in Deo talem misericordiam, qualis justitiae divinae esset opposita, neque ergo id sufficere potest quod ad Deum reducamur, sed requiritur satisfactio judicio Dei.

(1) *Instit. Rel. Chr.*, lib. II. c. 12 § 2, 3.

In hisce Calvinum haud parum ab Anselmo differre perspicuum est. Anselmus enim unice fere spectans Dei justitiam et dignitatem nonnisi *satisfactionem* urgere potest, de qua hoc loco breviter tantum monet Calvinus. Apud Anselmum *homo redimitur ut fiat satisfactione Deo*, apud Calvinum *Deo fit satisfactio ut homo redimatur*. „*Die Anselmische Genugthuungslehre ist ein Rechnungsexempel, die protestantische ein Liebesexempel*“ (1).

§ III.

Quod, Anselmo et Calvinio docentibus, nemo praeter Θεάνθρωπον ea tollere possit incommoda.

Diversa horum scriptorum indoles nobis haud minus patebit inquirentibus causas, ob quas uterque statuat a nemine praeter *Θεάνθρωπον* tolli posse peccatum ejusque incommoda.

Anselmus id placitum ita demonstrat, ut primum ostendat *satisfactionem* non fieri posse ab homine vel angelo, dein vero probet *ad eam requiri* „*Deum hominem.*”

a. Primum argumentum, quo nititur Anselmi sen-

(1) Schenkel, l. l. I p. 239.

tentia: satisfactionem non fieri posse ab homine vel angelo, petitur ex Dei consilio, ut hominibus angelorum civitas perficeretur. Quicunque enim hominem redimeret, eundem jure servum haberet. „Quod si esset, nullatenus restauratus esset homo in illam dignitatem, quam habiturus erat, si non peccasset; cum ipse, qui nonnisi Dei servus et aequalis angelis bonis per omnia futurus erat, servus esset ei, qui Deus non esset, et eius angeli servi non essent” (1).

Secundum argumentum eo nititur, quod ad satisfactionem requiratur donum Deo non debitum (2). Concedit Anselmus hominem honorare Deum „quando propter timorem et amorem in cordis contritione laetitiam temporalem abjiciat, in abstinentiis et laboribus delectationes et quietem hujus vitae calcet, in dando et dimittendo quae sua sint largiatur, in obedientia seipsum Deo subjiciat;” sed omnia ista deberet Deo etiamsi non peccasset. Te ipsum et quidquid potes Deo debes, nihil ergo restat tibi, quod pro peccato illi reddas (3).

Tertium argumentum Anselmus affert, statuens Deo honorem amissum reddi non posse ab homine. Maximâ enim contumeliâ Deus affectus est eo, quod homo contra Dei voluntatem et nulla vi coactus sola

(1) *Cur Deus homo*, Lib. I. c. 5. Conf. ad hunc locum ea, quae supra diximus cap. I. p. 24—29.

(2) Vide supra p. 60.

(3) *Lib. I. c. 20.*

suasione sponte sua se vinci permisit a diabolo (1). Homo igitur cum Deo reconciliari non potest, nisi prius honoravit Deum vincendo diabolum. Ea vero Victoria talis esse debet „ut sicut fortis ac potestate immortalis consensit facile diabolo, ut peccaret, unde juste incurrit poenam mortalitatis; ita infirmus et mortalis, qualem se fecit ipse, per mortis difficultatem vincat diabolum, ut nullo modo peccet.” Id autem homo peragere non potest „quum ex vulnere primi peccati concipiatur et nascatur in peccato” (2).

Denique Anselmus revocat ad Dei consilium, quo omnes homines redderet beatos (3). Homo, ut supra vidimus, suo peccato hoc consilium irritum fecit, ideoque reddere debet Deo quod ei abstulit. Id autem aliter fieri non potest „nisi ut quemadmodum per vicum tota humana natura corrupta et quasi fermentata est peccato, cum quo nullum Deus assumit ad perficiendam illam civitatem coelestem; ita per vincentem justificantur a peccato tot homines, quot illum numerum completuri erant, ad quem complendum factus est homo.” — At hoc quoque peragere non potest homo, quum peccator peccatorem justificare nequeat (4).

b. Ad satisfactionem Anselmo judice requiri „*Deum hominem*” supra notavimus. Quod ut rite demonstre-

(1) Conf. supra cap. I p. 21. sq.

(2) Lib. I. c. 22.

(3) Conf. supra cap. I p. 29. sq.

(4) Lib. I. c. 23.

tur necesse est ut videamus, primum cur illum, qui satis-
facit, *Deum esse oporteat*, deinde cur ad satisfactionem
simul *homo* requiratur.

1. Deus satisfactionem ipse curare debet, ut suum
peragat consilium homines angelis aequiparandi. Ho-
mo enim sui redemptoris servus erit, at nullius nisi
Dei servus esse debet, Deus igitur ipse eum redimat
necesse est (1).

Deinde, ut supra vidimus (2), ad satisfactionem
requiritur, ut Deo reddatur aliquid infiniti pretii,
imo majus quid quam omne quod praeter Deum est.
Illum vero, „qui de suo poterit Deo dare aliquid, quod
superet omne quod sub Deo est, majorem esse necesse
est, quam omne quod non est Deus. Nihil autem est
supra omne quod non est Deus, nisi Deus. Non ergo
potest hanc satisfactionem facere nisi Deus” (3).

2. Satisfactionem vero simul per *hominem* fieri debere,
jam inde sequitur, quod eo vocabulo apud Anselmum
significatur *spontanea hominis debiti sui solutio* (4). Sa-
tisfactionem nullus *potest* facere nisi Deus, nec *debet* nisi
homo. — De industria autem scholasticus probare stu-
det, ex *Adami* genere illi originem esse ducendam,
qui pro hominibus satisfaceret.

Quum enim justum sit, ad tollendam hominis culpm

(1) *Lib. I. c. 5.*

(2) *Conf. supra p. 58.*

(3) *Lib. II. c. 6.*

(4) *Ibidem.*

hominem satisfacere, necesse est, „ut satisfaciens idem sit, qui peccator, aut ejusdem generis; aliter namque nec Adam nec genus ejus satisfaceret pro se. Ergo sicut de Adamo et Eva peccatum in omnes homines propagatum est, ita nullus, nisi vel ipsi, vel qui de illis nascitur pro peccato hominum satisfacere debet.”

Statuit porro Anselmus, humanum genus post causum per *se* resurgere debere, „sicut Adam et totum genus ejus per *se* stetisset sine sustentatione alterius creaturae, si non peccasset.”

Denique contendit, Deum eo, quod ex Adamo et feminam et totum genus humanum oriri curavit, aperte indicasse „se non nisi de Adamo voluisse facere, quod de humana natura facturus erat.” Si igitur humani generis redemptor non ex Adami genere natus erit, hoc non restituetur in eam dignitatem, quam habiturum esset si non peccasset, ipsumque Dei propositum carabit effectu. Haec vero „inconvenientia sunt” (1).

(1) *Cur Deus homo* II c. 8. In iis quam maxime eluescere Scholasticismi notam characteristicam, qua ad ecclesiae doctrinam probandam subtilissima quaeque inveniat argumenta, cuivis patebit. Eodem loco adest Anselmi argumentatio, qua *a priori* demonstrare conatur Redemptorem «esse assumendum de virgine.” «Quatuor (inquit) modis potest Deus facere hominem; videlicet aut de viro et de femina, sicut assiduus usus monstrat; aut nec de viro nec de femina, sicut creavit Adam; aut de viro sine femina sicut fecit Eam; aut de femina sine viro, quod nondum fecit. Ut igitur hunc quoque modum probet suae subjacere potestati, et ad hoc ipsum opus dilatum esse, nihil convenientius, quam ut de femina

Quemadmodum argumenta, quibus Anselmus probare conatur *satisfactionem* fieri non posse ab homine vel angelo, sed ad eam requiri Θεάνθρωπον, arctius cum reliquis ejusdem doctrinae partibus cohaerent; sic etiam Calvinus, ut demonstret *hominis redemptorem* non hominem esse posse vel angelum, sed Θεάνθρωπον esse debere: argumenta sua petit tum e dissidio, quod inter Deum et hominem adesse docuerat, tum e satisfactione judicio divino, quam ad hominem liberandum necessariam habebat (1).

Hominis redemptio fieri non poterat ab homine vel angelo. Non ab homine, — quia omnes homines cum parente suo (2) conspectum Dei horrebant et quia maximum dissidium, quo „nostrae sordes a summa Dei munditie” separantur, impedit quominus homo hominem ad Deum reducat. Quamvis vero ab omni labe integer mansisset homo, humilior tamen erat ejus conditio, quam ut sine mediatore ad Deum penetraret. Quid ergo valeret homo peccato corruptus et Dei maledictione obrutus?

Neque magis ab angelo fieri poterat redemptio: illis

sine viro assumat illum hominem; quem quaerimus. Utrum autem de virgine aut de non virgine dignius hoc fiat, non est opus disputare, sed sine omni dubitatione asserendum est, quia de virgine Deum hominem nasci oportet.”

(1) Vide supra p. 60 et 61.

(2) Allusio ad Gen. 3:10.

enim ipsis opus erat capite „per cuius nexum solide et indistracte Deo suo cohaerent“ (1).

Quum igitur homo ad Deum non posset adscendere, hinc sequitur: aut salutem nostram non posse restituī, aut Deum ipsum ad hominem descendere debere (2), hac quidem lege, ut redemptio nostra fieret per Θεόν θρωπον.

Homo esse debebat noster redemptor, ut ad Deum nos reduceret. Deus filium suum tamquam „unum ex nobis familiariter in medio statuens“ nostrae succurrit infirmitati et Mediatorem nobis dedit propinquum imo contiguum. Inde nobis allata est fiducia, qua filium Dei nostrum agnoscentes fratrem, qui affici possit infirmitatibus nostris et nobiscum sit filius hominis, ipsi facilius nos Dei filios credamus. Dei enim filius factus est filius hominis, ut suum ad nos transferret, et quod esset naturā suum gratiā nostrum faceret (3).

(1) *Lib. II. c. 12 § 1.*

(2) « Jam (Calvinus inquit) magnopere nostra interfuit, verum esse Deum et hominem, qui Mediator noster futurus esset. De necessitate si quaeritur, non simplex quidem (ut vulgo loquuntur) vel absoluta fuit, sed manavit ex caelesti decreto, unde pendebat hominum salus.” *Instit. Rel. Chr. Lib. II Cap. 12 § 1.* — Rite igitur haec distinguenda est necessitas ab ea, cui Anselmus Deum ipsum aliquatenus subjicit. (Vide supra caput secundum). Hoc enim loco apud Calvinum non agitur de causa, quae Deum movit ad hominem redimendum, sed de modo, quo salus nostra servari oportet; et (quod omnino est animadvertisendum) Calvinus omnem necessitatem a decreto divino pendere statuens eamque absolutam esse negans, Dei libertati non obversatur.

(3) *Conf. 1 Tim. 2:5; Hebr. 4:15.*

Prodiit porro verus *homo Dominus noster*, ut „hominis vices subiret Patri obediendo et carnem nostram pretium sisteret justo Dei judicio”, poenam quam meriti eramus persolvens. Si non fuisset homo, mortem subire suamque imbecillitatem morti subjicere ad expianda peccata nostra non potuisset.

Pariter duae a Calvinio notantur causae, cur mediator noster simul *Deus esse debeat*, quarum altera conjuncta est cum redemptoris munere, quatenus id valeat ad nos restituendos in gratiam Dei, altera cum eodem, quatenus valeat ad satisfaciendum Dei judicio.

„Redemptoris erat mortem absorbere, quis hoc poterat nisi vita? Ejus erat peccatum vincere, quis hoc poterat nisi ipsa justitia? Ejus erat mundi et aeris potestates profligare, quis hoc poterat nisi virtus et mundo et aere superior? Porro penes quem vita est, aut justitia, aut caeli imperium et potestas, nisi penes solum Deum? Sese ergo clementissimus Deus in persona unigeniti redemptorem nostrum fecit, dum nos redemtos voluit.”

Deinde opus erat, ut *Deus esset noster Redemptor*, „ut carnem suam in satisfactionis pretium Dei sisteret judicio”. Solus quippe homo mortem superare non potuisset, ob *divinae* vero naturae virtutem luctam cum morte suscipere potuit nobisque victoriam acquirere (1).

(1) *Instit. Rel. Chr.* II c. 12 § 2, 3.

In hac vero doctrinae parte Calvinum ingenio suo nimis indulsisse et aliquatenus scholastici egisse personam censemus. Plurima enim statuit, quae a suo more recedens Sacrae Scripturae testimoniis non confirmavit. Praetermittimus illud, quod Deo necessitatem quandam imposuerit, qua per Θεόν θεωπόν redimendus foret homo. Hanc enim necessitatem a divino decreto pendere dicit, eaque igitur Dei libertati non adversatur (vid. supra p. 68 nota 2). Nullo vero arguento suum fulsit placitum, hominem „si ab omni labe integer stetisset, *sine mediatore* ad Deum non potuisse penetrare.” Deinde omni fundamento carere videtur Calvini argumentum: angelos hominem non redimere potuisse „quum ipsi opus habeant capite, per cuius nexum solide et indistracte Deo suo cohaerent.” Tandem monendum est, nulla eum attulisse S. S. loca, quibus nitatur ejus enunciatio: „Christum verum hominem prodiisse, ut carnem nostram in satisfactionis pretium justo Dei sis- teret judicio.” — At mirum non est, Scholasticismum, qui per tot saecula in Theologia viguerat, sua vi in Calvino nondum prorsus caruisse.

Anselmus igitur et Calvinus eatenus prorsus inter se consentiunt, quod uterque incommoda ex peccato profecta per Θεόν θεωπόν tollenda esse censuerat. In argumentis vero, quae ad hanc sententiam confirmandam

afferunt, haud leve cernitur discimen, in iisque triusque doctrinae patet diversa indoles. Anselmus, quemadmodum in aliis, ita hoc quoque loco omnia ad Deum refert et argumenta sua petit e necessitate Dei consilia esse peragenda et Dei honorem restituendum; Calvinus autem denuo ex dissidio inter Deum et hominem tollendo. Unde explicandum est, hujus argumenta, licet alicui dubitationi obnoxia, magis ad captum nostrum esse adaptata, et facilius ad vitae usum posse accommodari, quum in iis Deus proponatur tamquam Pater clementissimus hominum curans salutem. Imo necessitas illa, quae Calvini demonstrationi affert scholasticismi speciem, manasse dicitur e caelesti decreto, unde penderet *hominum salus* (1). Anselmi vero doctrina quum in superioribus saepius sibi non constiterit, omni fundamento carere videtur, et hoc quoque laborat vitio, quod nulla hominis in ea ratio habetur, eaque ideo non vitae sed scholasticae potius contemplationi inservit.

(1) *Inst. Rel. Chr.* II. c. 12. § I. Initio. —

PARS ALTERA.

ANSELMI ET CALVINI SENTENTIAE DE PECCATO EJUSQUE INCOMMODIS PER CHRISTUM SUBLATIS.

Exposuimus Anselmi et Calvini placita de peccato ejusque incommodis a Deo tollendis. Quum autem hac in re ambo consentiant, quod ea tollenda esse statuant per Θεάγθρωπον, eoque vindicent necessitatem, ut Christus ea tollat incommoda: restat, ut eorum enarreremus doctrinam *de Christo*, *peccatum ejusque incommoda tollente*. Quod ut rite peragamus, primum *de Christi persona*, deinde *de Christi opere* eorum indaganda erit sententia.

CAPUT PRIUS.

DE CHRISTI PERSONA.

Auctorum nostrorum placita de Christi persona exponentes non id agere poterimus, ut semper singulo-

rum de singulis argumentis enunciata sibi invicem opponamus; adest enim haud leve inter eos discrimen et quod attinet ad *formam* disputationis et quod ad ipsam materiam attinet. In *forma* ita differunt, ut Anselmus, semper scholasticum agens, omnia *aprioristicā* q. d. ratione demonstret, vel potius demonstrare conetur; Calvinus vero hoc in capite ab eadem argumentandi ratione, quam in capite praecedente eum secutum fuisse observavimus, recedat, et historici denuo partes agat Sacrae Scripturae nitens auctoritate.— In *materiā* haud mirum est magnam vim habuisse diversam utriusque cogitandi rationem tum de natura incommodorum, quae ex peccato profecta sint, tum maxime de modo, quo iis occurri debeat. Christus enim apud Anselmum praecipue est is, qui satisfactione Deo suum restituat honorem, et efficiat ut Dei consilia perfici possint; apud Calvinum vero is, qui homines ad Deum reducat. Quae quidem et formae et materiae discrepantia in singulis rerum capitibus clarius nobis patebit.

§ I.

*Quibusnam argumentis Calvinus probet Christum
verum fuisse Deum et verum hominem.*

Primum nobis spectandus est locus Calvini, ubi Christum verum fuisse Deum et verum hominem pro-

bare studet. Quod quidem plane cum ejus conveniebat consilio. Quum enim demonstravisset ad redēptionem opus esse Θεανθρώπῳ, requirebatur adhuc *historica* demonstratio, Christum, futurum quippe redētorem, divinae simul ac humanae naturae fuisse participem. Talem demonstrationem apud Anselmū non reperiri, ipsa jam indicat indoles scholasticae philosophiae omnia a priori constructis. Ad scholastici propositum sufficere debuerunt ea, quae in capite praecedente eum exposuisse vidimus de necessitate, qua per aliquem, qui simul Deus et homo esset, tollantur incommoda e peccato profecta. Breviter itaque hoc loco expōmus, quomodo Calvinus historicis argumentis suam hac de re doctrinam fulcire conetur. Primum agit de divina, dein de humana Christi natura.

a. Argumenta, quibus Christum verum fuisse Deum ostendere studet, duplicis sunt generis: altera, quae referuntur ad S. C. enunciata, altera, quibus ad Christi opera provocatur. De singulis videamus.

Saepius in S. C. memoratur *verbum Dei* (οὐ λόγος), a quo Calvinus indicari existimat „perpetuam Sapientiam apud Deum residentem, unde et oracula et prophētiae omnes prodierint.” Petrus autem Apostolus (1 Petr. 1. vs. 11) testatus est, per spiritum Christi veteres prophētas locutos fuisse, et (quia Christus nondum manifestatus erat) „illud *verbum*, cuius organa fuerunt prophetae, (Calvino iudice), indubie verus fuit Deus.” — Porro

Moses narrat Deum, quum mundum crearet, *verbum* intermedium posuisse dicentem: „*fiat hoc;*” idque, quod brevius attigerat Moses, postea sacri scriptores, imo Christus ipse, apertius explicuerunt. In Epist. enim ad Hebreos (c. 1. vs. 2, 3) monetur „per Filiū secula esse condita eumque portare omnia potenti suo verbo;” Johannes (Evang. c. 1. vs. 3) *Verbum* illud, quod ab initio Deus apud Deum erat, rerum omnium causam una cum Deo Patre statuit; et hoc quoque referendum est Christi dictum (Joh. 5: 17) „Pater meus et ego usque ad hunc diem operamur.”— „Ergo (Calvinus inquit) ut omnes divinitus profectae revelationes verbi Dei titulo rite insigniuntur, ita verbum illud substantiale summo gradu locare convenit, oraculorum omnium scaturiginem, quod nulli varietati obnoxium perpetuo unum idemque manet apud Deum et Deus ipse est” (1).

Affert porro Calvinus nonnullos locos e V. F. (2), ubi Christus Dei nomine vocetur, eosque contra Judaeorum oppositiones exegeticas defendere conatur. Hisce adjungitur argumentum, ex angelorum sub V. F. apparitionibus petitum. Apparuit enim angelus Jacobo Patriarchae (Gen. 32,) et Simsonis parentibus (Judic. 13,) iisque diserte confessi sunt se Deum vidisse; imo ipse dixit angelus: „cur de nomine meo interrogas,

(1) *Instil. Rel. Chr.* I. c. 13, § 7.

(2) *Psalm.* 45:7; *Jes.* 9:5; *Jer.* 23:6; *Ezech.* 48:35, alia.

quod est mirabile," iisque verbis (Calvino judice) omnem sustulit dubitationem. Auctor noster „cum orthodoxis Ecclesiae doctoribus" principem illum angelum interpretatur esse „Sermonem Dei, qui jam tunc praeludio quodam fungi coeperit Mediatoris officio. Etsi enim nondum erat carne vestitus, descendit tamen quasi intermedius, ut familiarius ad fideles accederet. Propior igitur communicatio ei dedit Angeli nomen, interea quod suum erat retinuit, ut Deus esset ineffabilis gloriae" (1).

Denique ex innumeris, quae dicit, N. T. testimoniis nonnulla selegit Calvinus, ut Christi deitatem probaret. Id imprimis singulari dignum censem animadversione, quod Apostoli ea, quae de aeterno Deo praedicta essent, in Christo vel jam exhibita vel olim representanda esse doceant. Sic e. g. Paulus Jesaiae dictum: (Jes. 8 vs. 14) „Dominum exercituum Judaeis et Israelitis fore petram scandali et lapidem offensionis" in Christo ait esse impletum (Rom. 9:33). — Similiter alibi: „oportet (inquit) nos omnes semel sisti ad tribunal Christi, scriptum est enim: mihi flectetur omne genu, et omnis lingua jurabit mihi." (Rom. 14:10, 11.) Quod quidem apud Jesaiam Deus de se ipse praedicat (Jes. 45:23.) — Postremo nonnulla afferuntur Apostolorum enunciata, quibus Christum revera fuisse Deum probet: Joh. I:1, 14; Rom. 9:5; Philipp. 2:6; alia (2).

(1) *Instit. Rel. Chr.* I. c. 13 § 9, 10.

(2) *Instit. Rel. Chr.* I. c 13 § 11.

Secundo loco nobis Calvini spectanda sunt argumenta pro Christi deitate, ex hujus operibus desumta.

Tribuuntur Christo et Creatoris (Hebr. 1:3) et Redemptoris (Jes. 43:25) partes, et ipse se talem esse comprobavit testans, se inde ab initio ad hunc usque diem cum Patre operari (Joh. 5:17), et peccata remittendi potestatem sibi esse propriam. (Matth. 9:6). Penetravit porro tacitas animorum cogitationes (Matth. 9:4) quod nullius est, nisi solius Dei (1).

E Christi miraculis haud minus, Calvinus judice, effici potest eum verum esse Deum. Prophetae enim ex Dei virtute miracula peregerunt, Christus autem miraculis saepius propriam suam virtutem ostendit et Apostolis sua quidem auctoritate potestatem dedit mortuos suscitandi, daemones ejiciendi, rell. Ad miracula sua Christus provocat contra Judaeos incredulos (Joh. 5:36) et Apostoli J. C. nomine miracula sua peregerunt (Act. 3:6) (2).

Christus porro hominum dicitur salus; „inde a primo creationis exordio (teste Evangelista) in ipso vita erat, et ipse vita jam tum existens erat lux hominum” (Joh. 1:14); „creditis in Deum, Christus inquit, et in me credite” (Joh. 14:1). „Qui credit in me, habet vitam aeternam” (Joh. 6:47). Sacrilega autem esset impietas, „si cuius fiducia in crea-

(1) *Ibidem*, I. c. 13 § 12.

(2) *Ibidem* § 13.

turis haereat." Extra Deum nulla est salus, nulla iustitia, nulla vita; Christus autem in se haec omnia continet; Deum igitur eum esse manifestum est (1).

Ultimum ducitur argumentum e Christi invocatione, quam fideles ei debere docet S. S. Quum enim dixerit Propheta: „quicunque invocaverit nomen Jehovae salvus erit," et alter: „turris fortissima nomen Jehovah, ad ipsam confugiet justus et servabitur" (Joël 2:32, Prov. 18:10); ipsius tamen Christi nomen ad salutem invocatur. Sequitur ergo eum esse Jehovah. Hujus invocationis exempla si quaeras, Calvinus provocat ad Stephanum (Act. 7:59), ad Ananiae testimonium (Act. 9:13, 14), idque confirmari dicit Pauli enunciatio ad Corinthios (1 Cor. 2:2), se nullam inter eos aliam prae se tulisse doctrinam, quam Christi cognitionem, nec aliud quam ipsam praedicasse. „Quale (Calvinus inquit) istud et quantum est: Filii nomen annuntiare nobis, quos Deus jubet in sui solius cognitione gloriari! Quis meram creaturam ipsum jactare ausit, cuius notitia unica est nostra gloriatio?" — Denique monet salutationes Pauli epistolis praepositas eadem, quae a Patre, a Filio precari beneficia, ideoque nos doceri Filium ipsum potentiae communione auctorem esse eorum, quae largiatur Pater caelestis (2).

b. Christum simul perfectum fuisse *hominem* proba-

(1) *Ibidem.*

(2) *Ibidem.*

re et contra Manichaeos et Marcionitas vindicare conatur Calvinus (1). Argumenta, quae affert, e S. S. petivit testimonii.

Primum provocat ad promissiones, quae extant in V. T. „Non in caelesti semine vel in hominis larva benedictio promittitur, sed in semine Abrahami et Jacobi: neque homini aëreo promittitur thronus aeternus sed Davidis filio et fructui ventris ejus.” Christus vocatur Davidis filius, quippe qui (Paulo interprete, Rom. 1:3) secundum carnem factus sit e Davidis semine.

Concinunt cum hisce alia multa testimonia. Christus ipse se *filiū hominis* appellat, clarius exprimere volens „se hominem esse ex hominis semine vere progenitum.” Obnoxius fuit Christus fami, siti, frigori aliisque naturae nostrae infirmitatibus; dicitur nostram assumisse naturam et fratribus similis factus esse, ut misericors esset et fidelis intercessor (Hebr. 2:17). Nomisi secundum *humanam* naturam Christus dicere potuit: „Ego propter eos sanctifico me ipsum” (Joh. 17:19) (2).

(1) *L. l. lib. II. c. 13. § 2, 3.* Marcionitae spectrum pro Christi corpore sibi fingebant, Manichaei vero statuebant eum caelesti carne fuisse praeditum.

(2) *Instit. Rel. Chr. II. c. 13. § 1.*

§ II.

Quid statuant Anselmus et Calvinus de vinculo inter utramque Christi naturam.

Vidimus Calvinum de industria argumentis historiis demonstrasse, Christum verum fuisse et Deum et hominem. Apud Anselmum tale quid inveniri non posse supra indicavimus. Clarius autem diversa auctorum nostrorum agendi ratio elucescit in iis, quae statuant de vinculo inter binas Christi naturas. Eorum de hoc argomento sententiam spectantes duo in primis considerabimus, nempe eos quod ad rem ipsam attinet haud prorsus inter se convenire, deinde eos ratiocinandi forma quam maxime differre.

a. Auctores nostri ambo docent Christum ita divinae et humanae naturae fuisse participem, ut haec cum illa nec commixta, neque in eam commutata sit. Ad sententiam suam illustrandam ambo utuntur eadem similitudine, Christi naturas ita in eo conjunctas dicentes, quemadmodum in cuiusvis persona anima et corpus conjuncta sint; idque eatenus, quatenus in homine corpus non sit anima et anima non sit corpus, sed, licet a se invicem distinguantur, unum tamen constituant hominem non plures. Calvinus vero insuper notat, quemadmodum in sermone vulgari saepius quod animae proprium sit ad corpus, et quod corpori proprium sit ad animam transfertur, „Scripturas attribuere

Christo interdum quae ad humanitatem singulariter referri oporteat: interdum quae divinitati peculiariter competant: nonnunquam quae utranque naturam completantur, neutri seorsim satis convenient. Atque istam quidem (Calvinus inquit) duplicitis naturae conjunctionem, quae in Christo subest, tanta religione exprimunt, ut eos quandoque inter se communicent. Qui tropus a veteribus *ἰδιωτευν κοινωνία* dictus est” (1).

b. Diversam eorum ratiocinandi formam considerantibus spectanda nobis sunt argumenta, quibus uterque sententiam suam de naturarum in Christo vinculo probat.

(1) *Instit. Rel. Chr.* II. c. 14. § 1. — Haec Calvini enunciatio bene distinguenda est a Lutheranorum placito de *communione idiomatum*, quo indicare volunt Christi naturas plures secum invicem proprietates posse communicare. Hisce eorum nititur dogma de corporis Christi ubiquitate. Animadvertisendum est ipsum jam Lutherum statuisse: «Die Menschheit (Christi) ist näher vereinigt mit Gott, denn unsere Haut mit unserem Fleische, ja näher denn Leib und Seel.” — Exemplum, quomodo placitum de communione idiomatum cum doctrina de satisfactione conjungi possit, invenitur apud Quenstedt, *Theol. didact. polemica* p. 354: «Est satisfactio Christi sufficientissima et consummatissima secundum se et ex intrinseco suo infinito valore, qui valor inde oritur, 1. quia persona satisfaciens est Deus infinitus, 2. quia natura humana per unionem personalem divinae et infinitae majestatis facta est particeps, ideo ipsius passio et mors infiniti aestimatur ac habetur valoris et pretii, ac si divinae naturae foret propria. Convenit sanguis Deo et aeterno per aliquam *ἰδιωσιν*, *ἰδιωσις* autem haec non est essentialis participatio — est tamen realis *ἰδιωσις* sive proprietas et quidem personalis.” Conf. Baur l. l. p. 309, Hagenbach l. l. II. p. 362. sq. et Hase, *Hutterus Redivivus* (Ed. VII) p. 227 sq.

Apud Anselmum res a priori demonstratur, apud Calvinum allatis S. C. testimoniis.

Anselmi argumentatio tota nititur eo, quod antea (vide supra part. 1 cap. 3) probavit, satisfactionem fieri non posse nisi a Θεανθρώπῳ. Satisfieri igitur ex ejus sententia non potest ab aliquo, in quo natura divina facta sit humana vel humana divina; talis enim aut non esset Deus, aut non esset homo. Nec magis valere posset persona, eas naturas ita habens commixtas, ut ex duabus corruptis tertia quaedam oriretur (quemadmodum muli e. g. habent nec equi nec asinae integrum naturam,) hic enim nec homo esset nec Deus. Requiritur tandem, ut illae naturae integrae in una eademque inveniantur persona, si enim „alius est homo, alius est Deus, et non idem est Deus qui est homo, impossibile est, ut ambo faciant quod fieri necesse est. Nam Deus non faciet quia non debebit, et homo non faciet quia non poterit; ut ergo hoc faciat Deus homo, necesse est eundem ipsum esse perfectum Deum et perfectum hominem, qui hanc satisfactionem facturus est; quoniam eam facere non potest, nisi verus Deus, nec debet nisi verus homo” (1).

Calvinus autem suam doctrinam more suo confirmare studet locis e S. S. petitis, quorum pauca hoc loco afferre sufficiet. Ad Christi *divinitatem* seorsim refertur Christi dictum: „antequam Adam fierit, ego sum” (Joh. 8 : 58.) *Humanae* seorsim *naturae*

(1) *Cur Deus homo.* II. c. 7.

ratione habita narratur Christus creuisse aetate et sapientia, nescire diem ultimum et similia. Ad personam vero Christi Calvinus ea refert quae Mediatoris officium spectant, eaque igitur neque ad divinam neque ad humanam seorsim naturam referenda esse censem.

Ad laudatam propietatum translationem illustrandam affert Act. 20: 28, 1 Cor. 2: 8, aliosque locos, quibus Deus dicitur suo sanguine sibi parasse ecclesiam, Dominum gloriae esse crucifixum, rel. In hisce igitur naturae humanae proprietates ad divinam transferuntur; transfertur contra divinae naturae proprietas ad humanam, ubi Christus neminem dicit in caelum adscendisse nisi filium hominis, qui in coelo erat (1).

§. III.

Anselmi placitum de Verbo cum homine in Christo conjunctio.

Praeter ea, quae modo Anselmum exposuisse vidi-
mus de vinculo inter Christi naturas, indagationem
instituit de Christi natura divina, qua probaret neces-
sario secundam e Trinitate personam cum homine
conunctam esse debere. Talis indagatio optime con-

(1) *Instit. Rel. Chr.* II. c. 14. § 2, 3.

venit cum Anselmi consilio, quum in praefatione dicat in opere suo explicari „ex necessitate omnia quae de Christo credamus fieri oportuisse”.

Inquirit noster in quanam persona Deus (secundum Trinitatis dogma tribus constans personis) humanam naturam assumere debeat. Primum demonstrat, cur nec Pater, nec Spiritus Sanctus rite incarnari possint, dein cur persona Filii incarnari debeat. Sed ipsum Anselmum audite:

„Si alia persona quam Filius incarnetur erunt duo filii in trinitate, filius scilicet Dei, qui et ante incarnationem filius est, et ille, qui per incarnationem filius erit virginis; et erit in personis, quae semper aequales esse debent, inaequalitas secundum dignitatem nativitatum. Dignorem namque nativitatem habebit natus ex Deo, quam natus ex virgine. Item si Pater fuerit incarnatus, erunt duo nepotes in trinitate, quia Pater erit nepos parentum virginis per hominem assumtum, et Verbum, cum nihil habeat de homine nepos tamen erit virginis, quia filii ejus erit filius; quae omnia inconvenientia sunt, nec in incarnatione verbi contingunt.”

„Est et aliud cur magis conveniat incarnari Filio, quam aliis personis, quia convenientius sonat filium supplicare patri, quam aliam personam alii. Item homo proquo erat oraturus, diabolus quem erat expugnatus, ambo falsam similitudinem Dei per propriam voluntatem praesumserant. Unde quasi specialius adver-

sus personam Filii peccaverunt, qui vera Patris similitudo creditur. Illi itaque, cui specialius fit injuria, convenientius attribuitur culpae vindicta aut indulgentia. Quapropter — necesse est, Verbum Dei et hominem in unam convenire personam” (1).

Eluet sane ex hac disputatione sagacissimum philosophi ingenium; sed vel sic tamen hoc praesertim loco apparet ad quam inanes contemplationes ducatur ingenium, illa quoque a priori construere et explicare studens, quae humanum captum longe superant. A Calvini proposito talem investigationem prorsus abhorruisse ipsa docet Reformationis indoles historica, quae id magis egit, ut hominis per Christum redemtionem S. S. testimentiis exponeret et ad vitae usum adaptaret, quam ut argumentis unice scholam redolentibus hujus redemtionis modum subtilius explicaret. De quibus conferantur ea, quae supra in introductione monuimus de studiis reformatoriis a scholasticis diversis.

§ IV.

Anselmi et Calvini sententiae de Christo non peccatore.

Doctrina de Christo non peccatore et cum Anselmi et cum Calvini systemate arcte cohaeret, licet diverso prorsus modo. Si peccator fuisset Christus ex Ansel-

(1) *Cur Deus homo*, Lib. II c. 9.

mi sententia (ut deinde videbimus) morti subjectus fuisse, neque ita moriendo *satisfacere Deo* potuisset. Calvinus autem non mirum esse dicit Christum „a vulgari corruptione fuisse exemptum, quum ab eo restituenda esset integritas.”

Ambo hoc placitum breviter explicarunt et contra objectiones defendere conati sunt. Instituta vero comparatione statim nobis occurrit hoc discrimen: Anselmum contendere in Christo, quippe Deo, peccatum non posse inveniri, Calvinum autem recte monere, in hisce solam notari humanam Christi naturam, quia supervacuum sit dicere Deum esse purum. In eo igitur differunt quod Anselmus statuat: Christum *non potuisse peccare*, Calvinus vero simpliciter ostendat: Christum *non peccavisse*.

De argumentis, quibus auctores nostri sententiam suam confirmare student, breviter monebimus. Calvinus eam primum defendit contra objectionem, quod nemo, ad Adami sobolem pertinens, peccato immunis esse possit. Hanc objectionem more suo S. S. locis refellit est Pauli citans dicta (Rom. 5; 7: 3, 1 Cor. 15: 47,) quibus diserte ostendatur, Christum *corruptae* Adami naturae non fuisse participem. Eum porro ab omni macula immunem docet, „quia sanctificatus est a Spiritu, ut pura ejus esset generatio et integra, qualis futura erat ante Adami lapsum” (1).

(1) *Instit. Rel. Chr.* II. c. 13. § 4.

Anselmus, ut probet Christum non potuisse peccare, contendit in eo adesse non potuisse voluntatem peccandi (1). Tali autem argumentatione in Christo homine libera voluntas tollitur, et eatenus inferior habendus est homine, qui, licet habere possit voluntatem peccandi, nihilominus peccare nolit. Hoc dubium Anselmus non removet sed putat Christum, licet habere non possit voluntatem peccandi, tamen laude afficiendum esse quemadmodum Deus ipse semper laudandus sit. — Vides quantum in his praecellat Calvinus, qui humanam Christi spectaverit naturam eamque a peccato ita immunem statuat, ut libera hujus voluntas servetur.

Denique contra Anselmum Boso eandem attulit objectionem, quam modo a Calvino S. S. locis refutatam vidimus: Christum nempe, licet sine peccato conceputus sit, natum tamen esse ex virgine, quae originalis peccati particeps ipsa in Adamo peccavisset (2).

(1) «Omnis potestas sequitur voluntatem. Cum enim dico, quia possum loqui vel ambulare, subauditur si volo. Si enim non subintelligitur voluntas, non est potestas sed necessitas. Nam cum dico, quia nolens possum trahi aut vinci, non est haec mea potestas, sed necessitas et potestas alterius. Quippe non est aliud, possum trahi vel vinci, quam alius me trahere vel vincere potest. Possimus itaque dicere de Christo, quia potuit mentiri, si subaudiat, si vellet; et quoniam mentiri non potuit nolens, nec potuit velle mentiri; non minus dici potest nequivisse mentiri.» — *Cur Deus Homo* II. c. 10.

(2) De immaculata Mariae conceptione, quam Anselmus h. L. negat, Conf. Hagenbach, l. l. II. p. 109 sq.

Anselmus hanc tollere studet difficultatem contendens: „illam virginem, de qua Christus assumptus sit, ante ejus nativitatem per eum mundatum fuisse a peccatis, eumque igitur in ejus ipsa munditia de illa fuisse assumtum” (1). Pergit Boso: „Placeret mihi multum quod dicis, nisi, cum ipse debeat a se ipso habere munditiam a peccato, videtur eam habere a matre, et non per se mundus esse, sed per illam.” Anselmus: „Non ita est. Sed quoniam matris munditia, per quam mundus est, non fuit nisi ab illo, ipse quoque per se ipsum et a se mundus fuit.”

§ V.

Anselmi placitum de Christo, morti non subjecto.

Cum Anselmi placito Christum non fuisse peccatorum arce cohaerere ejusdem sententiam: Christum morti non subjectum fuisse, supra verbo indicavimus, nunc autem nobis occuratius explicandum est. Monendum est vero eum hoc loco humanam Christi naturam spectasse, quum secundum divinam naturam concedat eum esse incorruptibilem.

(1) *Cur Deus homo* II. c. 16. Conf. porro ad h. l. Anselmi libellum *de conceptu virginali* et Frank, *l. l.* p. 189 sq. — Quo modo Anselmus Mariae a. C. n. munditiam Christi operi tribuere possit, nobis explicandum erit infra, Cap. II, § 3.

Mirum omnino videri debet cuivis omnium hominum mortalitatem spectanti, unum hominem morti non subjectum fuisse, licet idem debilis nostrae naturae sit particeps. Anselmus vero mortem minus considerat tamquam naturale nostrae fragilitatis effectum, sed potius tamquam peccatorum poenam. Sapientiae et justitiae Dei id repugnare putat, „ut cogeret hominem mortem pati sine culpa, quem justum fecit ad aeternam beatitudinem. Sequitur ergo quia si nunquam peccasset nunquam moriretur” (1). A philosophis minus recte mortalitatem tribui hominis naturae, eosque perperam eo adductos esse censet videntes nullum hominem non obire diem supremum. At „non pertinet ad sinceritatem humanae naturae corruptibilitas sive incorruptibilitas, quoniam neutra facit aut destruit hominem, sed altera valet ad ejus miseriam, altera ad beatitudinem.” Mortalitas igitur non pertinet ad puram, sed ad corruptam hominis naturam.

Licet autem mortem subire non debeat Christus, Anselmo tamen judice mori poterit. Deus enim est ac omnipotens, quapropter, si voluerit, animam suam ponere poterit et iterum sumere; si id voluerit permittere poterit occidi, si noluerit non poterit (2).

(1) *Cur Deus homo* II. c. 2.

(2) *Ibidem.* c. 11.

§ VI.

*Anselmi placitum de Christo, nostrorum incommodorum
participe, non tamen ignorantie.*

Anselmus non semper sibi constat in omnibus systematis partibus referendis ad incommoda Deo per peccatum illata. Oculos non semper avertere potuit a vita practica, nec Christi imaginem construere ipsorum hominum ratione non habita. Postquam enim exposuerat Christum, quippe Deo satisfacturum, peccatorem esse non posse, aliam hujus rei causam addit eamque ab hominum vita desumtam. Scholasticus omnia a priori adhuc considerans historiam consultit, atque ita viam ingreditur, quam postea secutum esse Calvinum indicavimus. „Sunt (inquit) et alia multa, cur Christum valde conveniat hominum similitudinem et conversationem absque peccato habere, quae facilius et clarius per se patent in ejus vita et operibus quam *velut ante experimentum sola ratione* monstrari possint. Quis enim explicet quam necessarie quam sapienter factum est, ut ille, qui *homines erat redempturus et de via mortis et perditionis ad viam vitae et beatitudinis aeternae docendo reducturus*, cum hominibus conversaretur et in ipsa conversatione, cum eos doceret verbo qualiter vivere deberent, seipsum exemplum praeberet” (1).

Ut vero Christus seipsum exemplum praeberet in-

(1) *Cur Deus homo* II. c. 11.

firmis et mortalibus, eosque doceret neque propter injurias, neque propter dolores, imo ne propter mortem quidem a justitia recedendum esse, necesse erat ut ipse talia subiret' et nostrorum incommodorum particeps fieret. Rogatur, num igitur Christus miser esset. Ea autem objectio ab Anselmo refutatur monendo, Christum sua ipsius voluntate ductum esse ad incommoda nostra perferenda. „Nam sicut ad beatitudinem non pertinet commodum, quod quis habet contra voluntatem, ita non est miseria apprehendere sapienter nulla necessitate aliquod incommodum secundum voluntatem” (1).

Licet vero ad infirmitates nostras pertineat ignorantia, Christo ea tribui non potest. Adversaretur sapientiae divinae, si Christus esset ignorans. Ignorantia enim Christo quam maxime noxia esset, quum sine summa sapientia opera, quae facturus est, peragere non posset, nec illi homines fidem haberent si illum scirent nescium. Christus porro omne bonum amatus id cognoscere debet, quum nihil ametur, nisi quod cognitum sit. Omne igitur bonum a malo recte poterit discernere et nihil aut bonum aut malum ignorabit. Sapientiam illam non a puero inde in Christo consummatam fuisse facile ab Anselmo conceditur, quum infantia non sit tempus congruum ut in illo ea appareat (2).

(1) *Ibidem.* c. 12.

(2) *Ibidem.* c. 13.

§ VII.

*Calvini doctrina de Christo, nostro propheta,
rege et sacerdote.*

Anselmi et Calvini diversa indoles haud minus patet comparando eorum sententias de iis dogmatibus, quae simul eos exposuisse videmus, quam considerando ea placita, de quibus singuli seorsim egerunt. Quod etiam hoc loco nobis est observandum, doctrinam consideraturis de Christo nostro propheta, rege et sacerdote, quam exponit quidem Calvinus, Anselmus vero prorsus omittit. Causae hujus discrepantiae in diverso eorum consilio et universe in diversa ratione temporis, quo singuli vixerunt, quaerendae sunt. Anselmi tempore populi religio maximam partem reducta erat ad formam externam, et Theologia non vitae sed scholae potius inserviebat, ut supra in introductione uberiorius exposuimus; Calvino autem judice ipsa divina Christi revelatio non tantum idonea est, quae ad omnium perveniat notitiam, sed ejus rectam cognitionem hic ad aeternam animorum salutem necessariam habet. Non mirum igitur eum in exponenda doctrinae summa non minimo loco habere dogmata ad rationem pertinentia, quae secundum S. C. doctrinam interest inter J. C. et omnes ei fidem habentes.

Statuit Calvinus Christum nobis datum esse Prophetam, Regem et Sacerdotem. De singulis singulatim videamus.

Christus nobis est Propheta. Sub V. F. Prophetae a Deo mittebantur, ut nunquam destituti essent Israelitae utili institutione, quae ad salutem sufficeret; piorum tamen mentes semper hac persuasione imbutae fuere, ut plena intelligentiae lux Messiae demum adventu eos illustraret. Hoc ipsum docebant prophetarum oracula, quibus dicitur Deus Messiam posuisse testem, ducem, magistrum populis; angelum, interpretem magni consilii (Jes. 55: 4; 9: 5). Quemadmodum olim Deus cum Patribus locutus est per Prophetas, novissime nobiscum locutus est per dilectum Filium (Hebr. 1: 1), imo ipse Pater caelstis vocem e caelo demisit: „Hic est Filius meus, ipsum audite!” Similiter Paulus dicit „Christum nobis datum esse in sapientiam et in eo absconditos esse thesauros omnes scientiae.” „Eoque (Calvinus inquit) tendit prophética dignitas in Christo, ut sciamus in summa doctrinae, quam tradidit, inclusos esse omnes perfectae sapientiae numeros” (1).

Christus nobis est Rex; ejus regnum vero a ceteris distinguitur, quod sit *aeternum et spirituale*.

Aeternitas illius regni a Prophetis praedicta, Angelorum enunciatis confirmata, (Dan. 2:44; Luc. 1:33) referenda est cum ad totum Ecclesiae corpus, tum ad quodvis Ecclesiae membrum. Ad illud spectat quod in Psalmo (Ps. 89:36—38) dicitur: „Semel juravi per sanctitatem meam: Davidi non mentiar: semen ejus

(1) *Instit. Rel. Chr.* II. c. 15. § 1, 2.

aeternum manebit: solium ejus sicut sol in conspectu meo: sicut luna stabilietur in conspectu meo et testis in caelo fidelis." Hoc enim loco Deus promittit se per manum Filii sui aeternum fore Ecclesiae praesidem ac defensorem. Eandem illius regni aeternitatem Deus confirmavit verbis Jesaiae et Davidis (Jes. 53:8; Ps. 2:34,) imo ipse locutus est: „sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum;" admonens quod, licet ad oppugnandam Ecclesiam multi et validi hostes conspirent, non tamen regnum Christi devertere ii valebunt. „Unde sequitur (Calvinus inquit) fieri non posse, ut Diabolus cum toto mundi apparatu Ecclesiam unquam deleat, quae in aeterno Christi solo fundata est." — Tandem quod ad nos ipsos attinet, eadem illa aeternitas in nobis spem excitare debet beatae immortalitatis. Regna hujus mundi pereant eorumque reges succumbant, Christi regnum non mundi, non temporis finibus includitur; hoc regno nobis asseritur vita aeterna.

Hujus autem regni vis et utilitas nobis non fit perspicua, nisi *spirituale* illud esse cognoscamus; idque Calvinus accuratius illustrare studet. Et primum quidem monet, miseram nostram esse conditionem, quum per totam vitam sub cruce nobis militandum sit, et nihil igitur nobis prodesset collectos esse sub regis caelestis imperium, nisi extra terrenae vitae statum constaret ejus fructus. „Sicut in mundo prosper et optabilis populi status partim bonorum omnium copia et domestica pace partim

validis praesidiis continetur, quibus tutus sit contra externam violentiam: ita et Christus suos omnibus ad aeternam animarum salutem necessariis locupletat, et virtute munit, qua stent inexpugnabiles contra quoslibet hostium spiritualium impetus." Christus ipse asseruit „regnum Dei intra nos esse et non cum observatione esse venturum." (Luc. 17:21.) Regnum Dei est justitia, pax et gaudium in Sp. S. (Rom. 14:17.) Nos igitur aeternam vitam spectantes hujus vitae aerumnas, contemtum, molestias patienter subeamus, hoc uno contenti quod nunquam Rex noster nos destituet. Sicut Christus ipse sua dona liberaliter nobis largitur, ita nos vicissim fructus in ejus gloriam proferamus. (1)

Christus nobis est Sacerdos, quum sit mediator noster omni macula purus, qui sanctitate sua Deum nobis conciliet. Deus enim quum pro judicis officio nobis infensus sit, requiritur sacerdos ad ejus iram placandam cum piaculo interventurus. Quapropter Christum, ut hoc munus impleret, cum sacrificio in medium prodire oportuit, quemadmodum sub lege sacerdoti non licebat sanctuarium ingredi absque sanguine (Hebr. c. 8—10.). Christus mortis suae sacrificio reatum nostrum delevit, et satisfecit pro peccatis, ideoque nobis „a morte Christi incipiendum est, ut ad nos perveniat sacerdotii ejus efficacia et utilitas. Hinc sequitur eum aeternum esse deprecatorem, cuius patrocinio favorem

(1) *Ibidem* § 3, 4.

consequimur. Unde rursus oritur precandi fiducia et tranquillitas piis conscientiis, dum in paternam Dei indulgentiam tuto recumbunt, certoque iis persuasum est Deo placere quidquid per Mediatorem consecratum est."

Sacrificium Christi ab eo quod sub V. F. offerebatur, hac in re praecipue differt, quod Christus simul sit hostia et sacerdos, quia nec alia pro peccatis idonea satisfactio reperiri possit, nec quisquam tanto honore dignus, qui Deo unigenitum Filium offerret. Jam sacerdotis personam sustinet Christus, non modo ut aeterna reconciliationis lege patrem nobis faventem ac propitium reddat, sed etiam ut nos adsciscat in tanti honoris societatem. „Nam qui in nobis pollutum sumus in ipso tamen sacerdotes offerimus nos et nostra omnia Deo, caelesteque sanctuarium libere ingredimur” (1).

Calvinus porro ad tria, quae consideravimus, Christi munera pertinere dicit „elogium”. Sub lege enim tam prophetae quam sacerdotes et reges unguebantur, ac inde clarum *Messiae* nomen Mediatori fuit impositum. Licet autem Christus Messias dicatur imprimis ratione habita regiae dignitatis, vel sic tamen prophetica et sacerdotalis unctionis suum quoque locum obtinent, neque a nobis negligendae sunt. Triplici igitur sensu Christus, Calvino judice, in S. C. unctionis habetur. De singulis unctionibus unum

(1) *Ibidem* § 6.

locum afferam: unctio prophetica memoratur Jes. 61:1,
regia Ps. 45:8, sacerdotalis Dan. 9:24.

Quod Calvinus locum de Christo, nostro propheta, rege et sacerdote, uberior exponit, denuo ostendit, quanti in hominis per Christum redemtione illud fecerit: dissidium inter Deum et hominem esse tollendum. In hisce eum quam maxime ab Anselmo differre, qui sola satisfactione peccati incommoda statuat delenda, saepius monuimus. Caeterum ex hac quoque doctrinae parte luculenter appetit, quantam vim in doctrina Christiana exponenda habeat usus C. S., adeo ut gravissima dogmata negligantur, si solius rationis ope, non Scripturae auctoritate, res agatur. Ab Anselmo enim nullius dogmatis mentio fit, nisi quatenus id ad ejus propositum peragendum requiritur; Calvinus vero sibi proposuit, ut omnia, quae S. S. niti videantur dogmata exponeret. Hic a C. S. procedere studuit ad veram rerum divinarum humanarumque cognitionem, ille a philosophia sua ad C. S. veritatem probandam.

CAPUT ALTERUM.

DE CHRISTI OPERE.

Secundo loco exposituri sumus qualem vim diversa scriptorum nostrorum cogitandi ratio habuerit in eorum de Christi opere doctrina. In quibus exponendis, quatenus id fieri poterit, ea utriusque placita sibi invicem opponemus, quae de eodem fere agunt argumento, singulatim vero ea enarrabimus, quae alteruter solus tractavit. In omnibus, ni fallor, doctrinae partibus considerandis diversa eorum indoles patebit.

Supra vidimus hac in re maxime differre utriusque sententiam de modo, quo Deus occurrat peccato ejusque incommodis, quod Anselmus satisfactionem necessariam esse statuat, Calvinus autem doceat hominem restituendum esse in gratiam Dei et satisfactionem fieri debere Dei judicio. Vides eos eatenus concinere, quatenus ambo satisfactionem necessariam habeant. Id argumentum propterea primum considerabimus.

§ I.

*Quid deceant Anselmus et Calvinus de Christi
opere pro peccatis satisfacente.*

Anselmus, uti diximus, ad satisfactionem requirit ut Deo aliquid reddatur, quod omnium peccatis iisque infinitis praevaleat et simul donum sit indebitum Deo. Christi mortem his postulatis sufficere demonstrat: videamus igitur quibus argumentis ejus nitatur sententia.

Christi mortem esse donum indebitum Deo eadem ratione ostenditur, qua probavit Anselmus hominum peccatum esse infinitum, provocando nempe ad sensum religiosum. Cuius, Christum summo amore et veneratione prosequenti, eum vel in minima re offendere scelus horrendum videbitur, cui nullum aliud peccatum comparari possit, et mors Christi („eius vita tam est amabilis“) ex ejus sententia ad omnia qualiacunque peccata delenda facile poterit sufficere (1).

(1) *Cur Deus homo* II. c. 14: «Boso: Nunc rogo ut doceas me, quomodo mors ejus praevaleat numero et magnitudine peccatorum omnium, cum unum (quod putamus levissimum) peccatum tam infinitum monstres, ut si numerus obtendatur infinitus mundorum, qui sic pleni sint creaturis sicut iste est, nec possint servari, quin redigantur in nihilum, nisi faciet aliquis aspectum unum contra voluntatem Dei, non tamen fieri debeat. Anselm. Si praesens esset homo ille et quis esset sciens et diceretur tibi: nisi occideris hominem illum, peribit mundus iste totus et quidquid

Affert vero Boso argumentum, quo refutare conatur Anselmi sententiam, Christi mortem omnium peccatis praevalere. „Si (inquit) tam malum

Deus non est; faceres hoc pro conservanda omni alia creatura? Boso. Non facerem, etiamsi mihi infinitus numerus mundorum obtenderetur. Anselm. Quid, si iterum tibi diceretur: aut eum occidas, aut omnia peccata mundi venient super te? Boso. Responderem me potius alia omnia peccata velle suscipere, non solum hujus mundi quae fuerunt et quae futura sunt, sed et quaecunque super haec cogitari possunt, quam istud solum. Quod non solum de occidente ejus, sed et de qualibet parva laesione, quae illum tangereret, respondere me existimo debere. Anselm. Recte existimas; sed dic mihi cur ita cor tuum judicat, ut plus horreat unum peccatum in laesione hujus hominis, quam alia omnia quae cogitari possunt; cum omnia, quaecunque fiunt peccata contra illum sint? Boso. Quoniam peccatum quod in persona ejus fit, incomparabiliter superat omnia illa, quae extra personam illius cogitari possunt. — Anselm. Videmus ergo, quia violationi vitae corporalis hujus hominis nulla immensitas vel multitudo extra personam Dei comparari valet. Boso. Apertissimum est. Anselm. Quantum bonum tibi videtur, cuius interemtio tam mala est? Boso. Si esse ejus tam bonum est, quam mala est ejus destructio, plus est bonum incomparabiliter, quam sint ea peccata mala, quae sine aestimatione superat ejus interemtio. Anselm. Verum dicis. Cogita etiam quia peccata tantum sunt odibilia, quantum sunt mala; et vita ista tantum amabilis est, quantum est bona. [Unde sequitur, quia vita ista plus est amabilis, quam sint peccata odibilia. Boso. Non possum hoc non intelligere. Anselm. Putasne tantum bonum tam amabile posse sufficere ad solvendum quod debetur pro peccatis totius mundi? Boso. Imo plus potest in infinitum. Anselm. Vides igitur, quomodo vita haec vineat omnia peccata, si pro illis detur. Boso. Aperte. Anselm. Si ergo dare vitam est mortem accipere; sicut datio hujus vitae praevalet omnibus hominum peccatis, ita et acceptio mortis." —

est Christum occidere, quam bona est vita ejus: quomodo potest mors ejus superare et delere peccata eorum qui eum occiderunt? Aut si alicujus eorum peccatum delet, quomodo non potest aliorum quoque hominum aliquod delere? Credimus enim quia et multi ex illis salvati sunt et innumerabiles alii non salvantur." (II c. 15) Hanc argumentationem, quam non omni vi destitutam esse censemus, Anselmus refellit provocans ad Pauli Apostoli dictum (1 Cor. 2: 8) „si eum cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent,” et peccatum eorum, qui Christum occiderunt, tam grave esse contendit, „ut nemo id perpetrare scienter, in nomine quidem velle possit.” Eadem vero ignorantia, qua occupati tale scelus peragere potuerunt, ansam dat ut hujus peccati veniam possint accipere.

Licet autem Boso huic Anselmi responso assentiantur, eadem tamen difficultas manet, quam supra (p. 59.) verbo attigimus. Anselmus enim quodvis peccatum, etiam levissimum, infinitum esse statuit, unde sequitur, idem, quod h. l. de Christi interemtoribus objicitur, et de quovis peccato et de quovis peccatore valere. Nec vero ab altera parte eadem refutatio, quam h. l. afferit Anselmus, de ceteris omnibus valet. Anselmus igitur aut errat singula peccata *infinita* esse contendens, aut injuria statuit Christi mortem omnium peccatis praevalere. Plus infinito non datur!

Haud minoribus difficultatibus premitur Anselmi

placitum: *Christi mortem donum esse indebitum Deo;* quapropter nobis exponendum est, quibus argumentis haec sententia nitatur, deinde quomodo contra plures objectiones auctor eam defendere conatus sit.

Vidimus per Christum, ut Deo satisfaciat, aliquid offerendum esse, quod sponte et non ex debito Deo det. Se ipsum autem Christus dare non poterit aut aliquid de se „quoniam omnis creatura Dei est,” nec magis sufficere id potest, ut Christus constanter justitiam colens se Dei voluntati subjiciat; hoc enim Deus ab eo „exigit ex debito”, quum omnis natura rationalis obedientiam Deo debeat. Restat igitur, ut Christus mortem subiens vitam suam tradat in honorem Dei. Moriendo Christus satisfacere poterit, quum mortem Deus ab eo non „exigat ex debito”; Christus enim non debebit mori, *quum in eo nullum inveniatur peccatum* (1).

(1) Conf. capit. superioris § 4. Anselmus id «rationabiliter convenire» hoc modo demonstrat: «Si homo per suavitatem peccavit, annon convenit, ut per asperitatem satisfaciat? Et si tam facile victus est a diabolo, ut Deum peccando exonoraret, ut facilius non posset; nonne justum est, ut homo satisfaciens Deo pro peccato tanta difficultate vincat diabolum ad honorem Dei, ut majori non possit? Annon est dignum, quatenus qui se sic abstulit Deo peccando, ut se plus auferre non posset, sic se det Deo satisfaciendo, ut magis se non possit dare? — Nihil autem asperius aut difficilius potest homo ad honorem Dei sponte et non ex debito pati quam mortem; et nullatenus scipsum potest homo magis dare Deo, quam cum se morti tradit ad honorem illius. — Talem ergo oportet esse, qui pro peccato hominis satisfacere volet, ut mori possit si velit.” — (C. D. h. II, c. 11).

Ex eo vero, quod Christus mortem subire non debat tamquam peccator, non sequitur nullam aliam adesse causam, cur tamen morti subjectus sit. Non mirum igitur plura argumenta a Bosone afferri, quibus probare conetur Christum omnino mori debuisse, ejusque igitur mortem non esse donum indebitum Deo. Primum afferit argumentum, quod Christus pro sua erga Deum obedientia mortem non subire non potuerit, idque saepius ipse confirmaverit, concinentibus Apostolorum enunciatis (1). Huic objectioni ansam ei praebet ipse Anselmus. Hic enim confitetur, Judaeos Christum ad mortem usque persecutos esse propterea, quod „veritatem et justitiam vivendo et loquendo indeclinabiliter tenebat.” Id vero, ipso Anselmo judice, Deus ab omni natura rationali exigit, quapropter illam obedientiam Christus Deo Patri et humanitas divinitati debebat eamque ab illo exigebat Pater. Hisce recte reponit Boso: „illata est illi mors, quia perstigit in obedientia et hanc sustinuit, sed quomodo hoc obedientia non exigat non intelligo.” Anselmus, ut ea refutet, provocat ad naturam Christi a peccato immunem, et ad Dei justitiam, qua nemo sine culpa invitus mori cogatur. „Ipse (inquit) Christus sponte sustinuit mortem, non per obedientiam deserendi vitam sed propter obedientiam servandi justitiam, in qua

(1) *Cur Deus homo* I. c. 8; ubi citantur Matth. 26:39, 42; Joh. 6:38; 14:31; Rom. 3:32; Philipp. 2:8, 9 et Hebr. 5:8.—

tam fortiter perseveravit, ut inde mortem incurreret. Potest etiam dici, quia praecepit illi mori pater, cum hoc praecepit unde incurrit mortem."

Constat igitur Anselmi refutationi eandem difficultatem inesse, quam ei objecerat Boso, imo ipsum confessum esse: Christum „propter obedientiam” diem supremum subiisse. Quid autem valeat distinctio inter obedientiam deserendi vitam et obedientiam servandi justitiam non video, imo in tota hac ratiocinatione non nisi subtile scholastici ingenium patere videtur. Non quaeritur, quanam obedientia Christus ductus fuerit ad mortem subeundam, sed tantum universe utrum obedientia, quam Christus Deo debebat, ad ejus mortem referri possit necne. Quod quum concedendum videatur, simul etiam concedendum est mortem Christi non esse donum *indebitum* Deo.

Locos, quos e S. C. citavit Boso, ita explicare studet Anselmus, ut semper vindicet sententiam: Christum *sponte sua* mortem obiisse. — Ad Hebr. 5:8 notat vocabulum „*didicit*” praeter vulgarem significationem ita posse intelligi, ut significet: „*alios fecit discere*;” „*didicit obedientiam*” eo monente significat: „*quousque servari debet obedientia*.” — Verba, quae dicit Apostolus (Philipp. 2:8, 9): „*humiliavit semet ipsum, factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus illum exaltavit et donavit illi nomen quod est super omne nomen:*” non ita dicta esse censem, ac si nullo modo Christus potuisset pervenire ad hanc exaltationem,

nisi per mortis obedientiam; sed „quoniam ipse cum Patre sanctoque Sp. disposuerat, se non aliter quam per mortem celsitudinem omnipotentiae suae ostensurum mundo. Quippe quod non nisi per illam mortem fieri dispositum est, cum per illam fit, non incongrue dicitur propter illam fieri.” Res igitur eodem redit, ac si de aliquo fluvium transituro dicas: „navis parata fuit, propterea transivit!” (1). — Christi verba (Joh. 6:38): „non veni meam voluntatem facere, sed ejus qui misit me” eum sensum habent, ut iis agnoscat Christus, se justam voluntatem a Deo accepisse, eamque sibi inesse non ex humanitate, sed ex divinitate. — Quod Deus filium suum pro nobis *tradidit* (Rom. 8:32), nihil est aliud quam: *non liberavit eum.* — Denique iis verbis, quae leguntur Matth. 26:39 et 42, Christus „naturalem salutis per voluntatem suam significat appetitum, quo humana caro dolorem mortis fugiebat.” *Voluntate Patris* eodem loco non intelligenda est ejus voluntas desiderantis mortem Filii, sed genus humanum restaurare volentis. Patrem vero mortem Filii voluisse dici non potest nisi eodem sensu, quo dicimus „il-

(1) Idem Pauli locus aliquam peperit difficultatem Calvin o (*Inst. Rel. Chr. II. c. 17 § 6*) contendenti, Christum, ut totus nostram curaret salutem, quodammodo sui oblitum esse. «Sed (inquit) facilis et plena solutio est, Paulum illic non disserere de causa exaltationis Christi: sed consequentiam duntaxat ostendere, ut nobis esset exemplo.” — In hisce vero Calvinus minus recte effectum et causam sejungere conatur. —

lum lucernam velle extinguere qui non vult fenestram claudere per quam ventus intrat, qui lucernam extinguit" (1).

Licet autem Anselmus summo studio vindicaverit, Christum nonnisi spontanea voluntate cruci affixum esse et mortem nequaquam vitare voluisse, vel sic tamen ejus argumentatio non recte procedit. Ipse enim fatetur, Patrem illam voluntatem Filio *dedit* „eoque eum ad mortem traxisse vel impulisse;” unde sequitur Christi mortem non esse donum *indebitum* Deo (2).—

Vidimus supra p. 88 Anselmum, ut Christum non fuisse peccatorem demonstret, provocare ad munditiam Mariae, quae, fidem habens in morte futura Filii, ante Christum natum ab originali peccato munda fuerit. Ex hisce Boso petit argumentum, quo probet Christum necessitate fuisse mortuum, quodque nobis haud parvum subtilitatis scholasticae specimen esse videtur. Hoc enim modo ratiocinatur: „Christi mater per ejus mortem futuram munda fuit, quod nisi illa fuisset, ipse de illa esse non potuisset; quomodo ergo non necessitate mortuus est, qui nonnisi quia moriturus erat potuit esse? Nam si moriturus non esset, virgo, de qua assumptus

(1) *Cur Deus homo* I. c. 9.

(2) *C. D. h.* I. c. 10. Conf. porro hac de re *ibidem* II. c. 17, ubi probatur Christum non ex necessitate quadam sed sponte mortem subiisse. Anselmus autem, ut jam diximus, quaestionem de spontanea Christi morientis voluntate permutasse videtur cum ea: num ejus mors donum esse possit *indebitum* Deo. —

est, munda non fuisset, quoniam hoc nequaquam valuit esse nisi veram ejus mortem credendo, nec ille de illa potuit aliter assumi. Quare si non mortuus est ex necessitate, postquam assumptus est de virgine, potuit non esse assumptus de virgine postquam est assumptus; quod non est possibile” (1).

Anselmus hunc nodum solvit contendendo, Filium qui etiam ipse Deus esset, antequam in mundum descendenter, libero et immutabili voluntatis decreto mortem suam voluisse, ideoque Christum postquam natus esset „non potuisse velle non mori.” Ea autem necessitas non tollit liberam ejus voluntatem, quum haec non nisi ipsius immutabilitate definiatur, eadem prorsus ratione, qua antea de Deo id explicuit Anselmus. (vide supra p. 42 sq.)

Boso huic Anselmi refutationi nihil objicit. Videatur tamen id obstare, quod Anselmus, provocans ad voluntatem Filii ante ejus in mundum descensum, nullam habeat rationem voluntatis *humanae*, quae postea secundum Ecclesiae doctrinam adfuit in Θεανθρώπῳ. Haec autem objectio satis refutatur ipso Concilii Oecumenici (Constantinopolitani a. 680) decreto, quo voluntas humana in Christo prorsus divinae voluntati subjecta esse statuta fuit (2).

(1) C. D. h. II. c. 17.

(2) Concilii decretum ita se habet: Άντο φυσικάς θελήσεις ητοι θελήματα εν Χριστῷ καὶ δύο φυσικάς ἐνεργείας ἀδιαιρέτως, ἀτρεπτῶς, ἀμεριστῶς, ασυγχύτως, πατέ-

Denique monendum nobis est de ultimo argumento,
quod contra hanc doctrinam affert Boso.

Quod ut afferat ansam ei praebet ipse Anselmus, explicare studens „quomodo Christus rationalibiter ad honorem Dei vitam suam dederit.” Contendit enim Christum injurias, contumelias, imo mortem crucis cum latronibus sustinentem (idque propter justitiam, quam obedienter colebat) exemplum dedisse hominibus, ut propter nulla incommoda a justitia, quam Deo debeant, recedant. Hoc Christi exemplum majorem vim aliorum (ut Joh. Baptistae) exemplis habere censem Anselmus, quum alii deditent vitam, quam Deo deberent et aliquando amissuri essent; Christus vero vitam dederit, quam nunquam necessitate amissurus erat, atque ita solverit quod non debebat.

Contra ea hoc dubium movet Boso: „nemo (inquit) negabit Christum melius fecisse, quando hoc exemplum taliter dedit, et magis hoc placere Deo quam si non hoc fecisset; aut dicet eum non debuisse facere,

τὴν τῶν ἀγίων πατέρων διδασκαλίαν ηγεύτομεν· καὶ δύο φυσικὰ θελήματα οὐκ ὑπεναντία, μὴ γένοιτο, παθώς οἱ ἀσεβεῖς ἔφησαν αἰχετικοί· ἀλλ᾽ ἐπόμενον τὸ ἀνθρώπινον αὐτοῦ θέλημα, καὶ μὴ ἀντιπίπτον, η̄ ἀντιπαλαιῶν, μᾶλλον μὲν οὖν καὶ ὑποτασσόμενον τῷ θείῳ αὐτοῦ καὶ παισθενεῖ θελήματι. (Conf. Mansi, *Sacr. Concil. collectio T. XI* p. 631 sq., Hagenbach, *I. I. I.* p. 259). Hoc autem modo *humana* in Christo voluntas omni destituta est libertate, et obscurum est cur ei *voluntatis* nomen dari possit. Ita enim a divina voluntate trahitur veluti currus ab equo.

quod melius esse et quod magis placere Deo intellexit. Quomodo ergo asseremus eum non debuisse Deo quod fecit, id est quod melius esse et magis placere Deo intellexit, praesertim cum creatura debeat Deo totum quod est et quod potest” (1) ?

Argumentum hoc, cui maxima verisimilitudo negari non potest, refellere conatur Anselmus provocans ad doctrinam de operibus superogatoriis (2). Putat Deum interdum homini libertatem concedere, ut pro libitu suo aliquid aut faciat, aut non faciat, licet alterum fieri melius sit idque Deo magis placeat. Si non facit quod melius est, non peccat, si vero facit praemium habet, „quia (Anselmus inquit) sponte dat quod suum est.” Exemplum affert noster, contendens virginitatem praestare conjugio, neutrum vero ab homine aperte exigi. Eodem modo ex Anselmi sententia Christus mortem vitare potuit, licet Deo magis placeret, ut ejus vita in suum honorem reddatur; neque dici potest Christum pati debuisse, nisi quia ipse pati voluit. — Hoc vero argumentum nullam vim habere, si operibus superogatoriis locus non coneedatur, non opus est

(1) *Cur Deus homo* II. c. 18^b.

(2) Hujus doctrinae jam primis Ecclesiae Christianae temporibus vestigia inveniuntur. In *Hermiae Pastore* (III. 5. 3). dicitur: «si praeter ea quae mandavit Dominus aliquod boni adjeceris, maiorem dignitatem tibi conquires et honoratior apud Dominum eris, quam eras futurus.» Conf. etiam ea *Origenis loca*, quae assert Hagenbach, *Dogmengesch.* I. p. 168.

ut moneam. Neque igitur hoc loco Anselmi ratiocinatio recte nobis procedere videtur.

Universē totam Anselmi argumentationem de Christi morte, dono non debito, ea difficultate laborare censeo, ut negare non potuerit Christum, humanae imprimis naturae ratione habita, Deo obedientiam debere, ideoque, si id justitiae servandae causa opus erit, ne vitae quidem parcendum esse. Hinc patet, cur Anselmus, quantum fieri possit, Christi humanam naturam naturae divinae et universē Christi personae postposuerit, cuius rei in iis, quibus argumentationem modo laudatam concludit, luculentum invenitur exemplum. „Nempe (inquit) quoniam ipse idem est Deus et homo, secundum humanam quidem naturam ex quo fuit homo, sic accepit a divina natura, quae alia est ab humana, esse suum quidquid habebat, ut nihil deberet dare nisi quod volebat, secundum personam vero sic a se ipso habebat quidquid habebat, ut sic perfecte sibi sufficiens erat, ut nec alii quidquam retribuere deberet, nec, ut sibi retribueretur, dare indigeret” (1).

Calvini de satisfactione doctrina ab Anselmi de eodem argumento sententia haud minus differt, quam cetera, quae consideravimus, utriusque placita a se invicem recedunt. Discrepantiae causa in eo maxime

(1) *Cur Deus homo* II. c. 18b.

quaerenda videtur, quod, ut jam saepius observavimus, Anselmus rationis ope doctrinam suam construere voluit, Calvinus vero e S. C. sua depromisit placita. Id discrimen statim nobis occurrit, quod Anselmus totum satisfactionis opus unice ad mortem Christi refert, Calvinus vero universe id obedientiae tribuit, quam Christum per totam vitam Deo praestitisse videmus. „Ex quo (inquit) induit personam servi, coepit ad nos redimendos pretium liberationis solvere (1).”

Calvinus igitur h. l. docet satisfactionem *activam* q. d., Christum nempe obedientia sua, sive iis quae egit, Deo satisfecisse. Tale quid apud Anselmum non invenitur, imo hoc prorsus ab ejus systemate abhorret. Ex hujus enim sententia satisfacere non potuit Christus, nisi offerendo donum *indebitum* Deo, ipse vero Deus a Christo „exigebat, ut justitiam et veritatem vivendo et loquendo indeclinabiliter teneret” (C. D. h. I c. 9). Apud Calvinum contra non adest placitum de dono indebito, quod ad satisfactionem necessarium esset.

Sed non tantum ad Christi obedientiam universe spectatam, Calvino judice, satisfactio est referenda. Satisfactioni *activae* q. d. *passivam* adjungit. „Scriptura (inquit) quo certius definit modum salutis, hoc morti Christi quasi peculiare ac proprium adscribit. Pronuntiat ipse animam se dare in redemptionem pro multis. Paulus

(1) *Instit. Rel. Chr.* II. c. 16. § 5, ubi citantur Rom. 5:19; Gal. 4: 4; Matth. 3: 15.

docet eum mortuum esse propter peccata nostra. Clamabat Johannes Baptista ipsum venisse ad tollenda mundi peccata, quia agnus Dei esset. Alibi Paulus nos justificari gratis tradit per redemtionem quae est in Christo: quia propositus est reconciliator in suo sanguine. Item, nos justificatos esse in sanguine ipsius et reconciliatos per mortem. Qui peccatum non noverat pro nobis factus est peccatum, ut essemus justitia Dei in illo” (1).

In Christi igitur morte plura consideranda esse censem. Primum quidem notanda est Christi *voluntaria subjectio*, imo primarium ea occupat locum, „quia ad justitiam nihil profuisse sacrificium nisi sponte oblatum” (2). Christum sua sponte mortem obiisse, idque haud sine certamine, probat quantum Patri suo praestaret obsequium (3). „Et hoc non vulgare

(1) *Instit. Rel. Chr.* II. c. 16. § 5. Citantur Matth. 20: 28; Rom. 4: 25; Joh. 1: 29; Rom. 4: 15; 5: 9; 2 Cor. 5: 21. Quantopere simul urgeat Calvinus obedientiam activam Christi patet ex iis, quae adjungit: «Neque tamen excluditur reliqua pars obedientiae, qua defunctus est in vita: sicuti Paulus ab initio ad finem usque totam comprehendit, quod scipsum exinanierit forma servi accepta et patri fuerit obedientis usque ad mortem: nempe mortem crucis.» (*Philipp.* 2: 7).

(2) Anselmus urget satisfactionem voluntariam, ne in Christi morte tollat *dioni* notionem, Calvinus vero, quia ad justitiam nihil profuisse nisi *sacrificium sponte oblatum*. In quibus haec interest differentia, quod donum siebat *propter Deum*, sacrificium vero *propter hominem*.

(3) Anselmus eodem argumento (Christum nempe sponte mortuum esse) probare vult eum mortuum esse *non exigente obedientia*!

fuit amoris erga nos incomparabilis specimen : luctari cum horribili formidine et inter diros illos cruciatus objicere sui curam ut nobis consuleret." —

Deinde maximi momenti Calvinus censet esse Christi *damnationem coram judice*, ut nos, quos manebat „maledictio ex reatu ad caeleste Dei tribunal,” sciamus poenam, cui eramus obstricti, justo fuisse impositam. „Horribile Dei judicium effugere non poteramus: ut inde nos criperet Christus coram homine mortali, imo etiam scelesto et profano damnari sustinuit.” Haud mirum igitur, Calvinum statuere Christum satisfacere non potuisse, nisi ita mortem subeundo. „Tollendae nostrae damnationis causa non satis erat eum quamlibet obire mortem, sed quo redemtioni nostrae satisfaceret genus mortis diligendum fuit, in quo et damnationem ad se traducens et piaculum in se recipiens, utroque nos liberaret. Si a latronibus jugulatus fuisset, vel tumultuarie caesus per seditionem vulgi, in ejusmodi morte nulla satisfactionis species exstitisset. Verum ubi reus ad tribunal sistitur, testimonii arguitur et premitur, ipsius judicis ore morte addicitur: his documentis intelligimus ipsum personam sonis et malefici sustinere. — Cur istud? nempe ut peccatoris non justi aut insontis vices obiret, quia non innocentiae sed peccati causa mortem oppetebat. — Haec nostra absolutio est, quod in caput filii Dei translatus est reatus, qui nos tenebat poenae obnoxios.”

Denique in Christi morte consideranda Calvinus spec-

tat *affxionem cruci et sanguinis effusionem*. Maledicta erat crucis poena, non humanâ tantum opinione sed divinae etiam legis decreto. In eam ergo dum tollitur Christus, maledictioni se obnoxium reddit. Quod ita factum oportuit, ut omni execratione, quae propter iniquitates nostras nobis incumberet, liberaremur, dum in eum traducebatur. (Gal. 3:13; 1 Petr. 2:24). Neque tamen eam maledictionem ita subiisse putandus est, ut ea ipse obrutus fuerit: quin potius eam subeundo vim ejus universam depresso, fregit, dissipavit. Proinde fides in Christi damnatione absolutionem, benedictionem in maledictione apprehendit. (Coloss. 2:14). — Quod autem ad *sanguinis effusionem* attinet, victima esse debuit Christus, ut certo confidere possemus, eum esse ἀπολύτωσιν, καὶ ἀντίλυτον καὶ ιλαστήριον. Nec tantum ad litationem valuit effusus Christi sanguis, sed lavacri etiam vices praestitit ad sordes nostras purgandas. —

Patet adeo Calvinum in Christi morte consideranda id imprimis demonstrare, quod Christus nostro loco mortem subierit, et quod maledictio, quae nos propter peccata manebat, in eum sit translata. Animadverendum est igitur Calvinum etiam hac in re ab Anselmo discedere, quod doceat Christi *passionem vicariam*, de qua scholasticus nullam facit mentionem. Quominus vero passionis vicariae notio apud hunc adesse possit, prohibet tota fere ejus philosophandi ratio, imo Anselmus satisfactionem et poenam ita sibi invicem opponit, ut altera alteram necessario excludere debeat: „necesso est

ut aut ablatus honor solvatur, aut poena sequatur; punire vero est recte ordinare peccatum sine satisfactione” (1).

Placitum de Christi passione vicaria haud minus vindicat Calvinus locum exponens de *descensu Christi ad inferos*. De hacce doctrinae parte Anselmus nullam mentionem facit, mortem Christi ad satisfactionem sufficere statuens. Non ita Calvinus. Christi enim descensum ad inferos omittere noluit, quum „ad redemtionis effectum non parum sit momenti, imo ea praeterita multum ex mortis Christi fructu depereat.” Recte igitur, eo judice, hic locus in symbolo Apostolico assuntus est (2).

Calvini sententia de Christi descensu ad inferos hoc reddit (3). Nihil actum foret, si corporea tantum morte

(1) *Cur Deus homo* I. c. 12 et 13. Conf. supra p. 55 sq. Recte monet Baur, II. p. 183: « Strafe und Genugthuung fallen bei Anselm so wenig in Einem Begriff zusammen, dasz vielmehr der eine Begriff den andern ausschlieszt, indem Anselm von dem Satz ausgeht, dasz die Schuld der Sunde nur entweder auf dem positivem Wege eines durch Gerechtigkeit Gott zu leistenden guten Werks, oder dem negativen der Entziehung der dem Menschen ursprünglich bestimmten Seligkeit, d. h. nur entweder durch Genugthuung oder durch Strafe getilgt werden konnte. Auch der Begriff der genugthuenden und stellvertretenden Strafe findet sich daher in der Anselm'schen Theorie nicht.”

(2) *Doctrinam de Christi opere* exponens Calvinus sequitur ordinem symboli Apostolici. Nos vero ab eo ordine paulum recedimus, quum Calvini de Christi *sepultura* judicium ad proximam paragraphum referendum sit.

(3) Aliorum de hoc arguento placita breviter memorat, eaque refellere studet. Conf. *Instit. Rel. Chr.* II. c. 16 § 8, 9

defunctus esset Christus, sed necessarium simul erat, ut ultiōis divinae severitatem sentiret: quo et irae ipsius intercederet et justo judicio satisfaceret. Quapropter eum etiam cum inferorum copiis aeternaeque mortis horrore certare oportuit. „In locum sceleratorum sponsor, vades, adeoque instar rei submissus est, qui dependeret ac persolveret omnes, quae ab illis expectandae erant, poenas; hoc uno excepto, quod doloribus mortis non poterat detineri.” Itaque nihil mirum est, si ad inferos descendisse dicitur, quum eam mortem pertulerit, quae sceleratis ab irato Deo infligitur. In descensu ad inferos invisible et incomprehensibile iudicium Christus coram Deo sustinuit, „ut sciamus non modo corpus Christi in pretium redēmptionis fuisse traditum, sed aliud et excellentius pretium fuisse, quod diros in anima cruciatus damnati ac perditī hominis pertulerit.”

Hanc doctrinam Calvinus testimonii S. S. confirmare conatur. Eo referuntur *mortis dolores*, de quibus sermo est Act. 2:24, quum his verbis Petrus exprimat Christum implicitum fuisse doloribus, quos pariat maledictio et ira Dei, quae mortis origo sit. Porro quod legitur Hebr. 5:7 (1) *Christum a suo metu fuisse ex-*

(1) In *commentario ad h. l. Calvinus* «*Christus,*” inquit, «mortem refugiebat in ea cernens maledictionem Dei, quod cum scelerum omnium reatu, *ipsisque adeo inferis* luctandum erat. Hinc trepidatio et anxietas, quod Dei iudicium plus quam formidabile est.” —

auditum; Christus enim, Calvino interprete, Dei ira depressus [metuit ne ut peccator a morte absorbeatur. Eodem urgente angore in cruce exclamavit: „Deus meus! Deus meus! utquid me dereliquisti!”

Missis argumentis, quibus Calvinus hanc doctrinam defendit contra „nebulones et nugatores quos-dam,” qui censebant hunc Christi metum non sine peccato fuisse, h. l. monebimus, quid scriptor noster statuat de tempore et modo, quibus Christus ad inferos descenderit. Exordium fuit, ubi mortem deprecatus est; unde colligi potest quam diros et horribiles cruciatus perpessus sit, quum se ad tribunal Dei reum stare nostra causa cognosceret. Quamquam autem divina vis spiritus se per momentum occultavit, ut infirmitati carnis locum cederet: notandum tamen est ejusmodi fuisse tentationem ex doloris et mortis sensu, ut cum fide non pugnaret. Quamquam enim se quasi desertum a Deo sentiebat, non tamen deflexit a bonitatis ejus fiducia et in cruce Deum suum vocare non desit (1).

(1) *Instit. Rel. Chr.* II. c. 16 § 10–12.

§ II.

*Quid doceat Calvinus de Christi opere, homines
in gratiam Dei restituente.*

Postquam Calvini de Christi opere pro peccato satisfaciente doctrinam consideravimus, nobis inquirendum est, quid statuat de Christi opere *homines restituente in gratiam Dei*, quibus verbis cum significasse patet: „ut faceret ex filiis hominum Dei filios, ex haeredibus gehennae regni caelstis haeredes (1). — Hunc locum prorsus omittit Anselmus, cuius doctrina id praesertim agere videtur, ut Deum secum ipso reconciliet (2); Calvinus autem, hominis spectans redemtionem et S. C. nitens auctoritate, viam monstrat, per quam novae vitae fiamus participes nobisque aditus ad salutem aeternam pateat. Hujus doctrinam propterea multo aptior rem esse, quae hominis succurrat miseriae et infirmitati luculenter patebit, quando paucis h. l. referemus,

(1) *Ibidem*, c. 12 § 2.

(2) Recte Schenkel l. l. I. p. 279: «Das Leben Christi war nach dieser Theorie nur das *Mittel*, um den Tod Christi zu veranlassen und hatte Keinen *Zweck* in sich selbst. Gott war Mensch geworden um sterben, und durch seinen Tod das erforderliche Aequivalent für die Schuldsumme der Menschen bezahlen zu können.” Et p. 280 et 281: «Eine Theorie, die im Ernst daran glaubte, dasz der Tod Christi ein ausschlieszliches Aequivalent für die Schuldsumme der Menschheit gewesen sei, könnte sich völlig bei diesem Tode beruhigen, und müsste Auferstehung und nachherige Intercession für nachträglichen Ueberflusz halten.”

quid statuat de Christi *resurrectione, adscensu in caelum, sessione ad dexteram Patris et reditu ad judicium.*

Antea vero nobis monendum est, ad hunc doctrinae locum quodammodo ea referenda esse, quae monet Calvinus in fine suae disquisitionis de Christi *morte et sepultura* (1). Hunc enim etiam fructum Christi mors nobis protulit „quod participatione sui membra nostra terrena mortificat, ne suas in posterum actiones exerceant, veteremque nostrum hominem enecat, ne post-hac vigeat ac fructifiet. Quo etiam ejus sepultura pertinet, nempe cuius consortes peccato et ipsi sepietiamur. — Proinde duplex in morte et sepultura Christi beneficium nobis fruendum proponitur: liberatio a morte cui mancipati eramus et carnis nostrae mortificatio” (2).

Si Christus a mortuis non *resurrexisset*, Calvinus judice, ea, quae hactenus dicta sunt, „mutila” essent. In cruce, morte et sepultura infirmitas tantum Christi apparet, in resurrectione omni nitet robore. In ejus morte solidum habemus salutis complementum, quia per eam maledictione sublata Deo reconciliati simus; dicimus tamen non per mortem, sed per resurrectionem, regenerati in spem vivam, quia, ut Christus resurgendo vitor mortis emersit, ita fidei nostrae victoria in ipsa demum consistit resurrectione.

(1) *Instit. Rel. Chr.* II. c. 16. § 7.

(2) Gal. 2: 19; 6: 14; Coloss. 3: 3.

Resurrectione *instaurata et restituta est justitia*, quemadmodum Christi morte sublatum est peccatum (Rom. 4:35). „Quomodo enim moriendo liberare nos a morte poterat, si morti ipse succubuisset? Quomodo nobis comparasset victoriam, si in certamine defecisset? Quare sic salutis nostrae materiem inter Christi mortem et resurrectionem partimur, quod per illam peccatum abolitum et mors extincta; per hanc justitia reparata et erecta vita: sic tamen ut hujus beneficiorum efficaciamque suam illa nobis proferat” (1). Monet vero Calvinus, ubi mortis mentio fiat simul intelligi quod proprium sit resurrectionis, et parem quoque synecdochen adesse in voce resurrectionis, quoties seorsim a morte inveniatur.

Resurrectio est *basis nostrae fidei*. Paulus contendit „abolitam esse fidem et inane fallaxque Evangelium nisi Christi resurrectio cordibus nostris sit infixa.” (1 Cor. 15:14, 17). Postquam in Christi morte adversus damnationis terrores gloriatus est, amplificandi causa addit: „imo idem qui mortuus est resurrexit, et nunc coram Deo pro nobis appetet mediator.” (Rom. 8:34).

Resurrectio in nobis *efficit novam vitam*. Quemadmodum (ut supra vidimus) ex communicatione crucis carnis nostrae mortificatio pendet, sic et alterum ex ejus resurrectione fructum capimus illi respondentem. „Ideo enim (ita Apostolus) similitudine mortis ejus

1) Rom. 1:4; 2 Cor. 13:4; Philipp. 3:10; 1 Petr. 1:21.

insiti sumus, ut participes resurrectionis in vitae novitate ambulemus" (Rom. 6:4). Itaque alibi non solum propterea, quod Christo simus commortui, ostendit mortificanda esse membra nostra super terram: sed etiam quia cum Christo surreximus, ea quae sursum sint nobis quaerenda esse docet (Coloss. 3:1, 2, 3). Quibus verbis non tantum invitamur ad sectandam vitae novitatem, sed docemur quoque resurrectionis fieri virtute, ut regeneremur in justitiam.

Resurrectio est *pignus futurae resurrectionis corporum nostrorum*. Resurrectione enim veluti accepto pignore certi reddimur de nostra ipsorum resurrectione, cuius illam constat esse certissimam hypostasin (1). (1 Cor. 15).

Nec minoris momenti habendus est *Christi adscensus in caelum*. Etsi enim gloriam virtutemque suam Christus resurgendo plenius ostendere coepit, sua tamen demum in caelum adscensione regnum suum vere auspicatus est. (Eph. 4:10; Joh. 7:39; 16:7). Ipse discipulis testatus est Dominus: „expedit vobis

(1) *Instit. Rel. Chr.* II. c. 16. § 13. — Corporum nostrorum resurrectionem Anselmus quoque sed suo modo probare studet. « Si non peccasset homo, cum eodem quod gerebat corpore in incorruptibilitatem transmutandus fuisset; restaurazione autem talis homo debet restitui, qualis futurus erat si non peccasset. Oportet igitur ut cum suo, in quo vivit in hac vita, corpore restauretur.» *Cur Deus homo* II. c. 3.

ut abeam, nisi enim abiero Spiritus sanctus non veniet." Et sane videmus, quanto majorem Christus, postquam abierat, Spiritus sui abundantiam effuderit, quanto magnificentius regnum suum promoverit, quanto majorem potentiam tum in adjuvandis suis, tum in hostibus dejiciendis extulerit. In caelum ergo sublatus corporis sui praesentiam e conspectu nostro sustulit, non ut adesse fidelibus desineret, qui adhuc in terris peregrinarentur, sed ut „praesentiore virtute" et caelum et terram regeret. Ratione carnis praesentiae habita recte dictum est discipulis: „me non semper habebitis;" ratione majestatis praesentiae habita semper habemus Christum (1).

Christus in Symbolo dicitur *consedisse ad Patris dexteram*, similitudine nempe desumpta a principibus, qui suos habent assessores, quibus regendi imperandique vices mandant. Ita Christus, in quo exaltari et per cuius manum regnare velit Pater, ad ejus dexteram receptus dicitur, acsi diceretur caeli ac terrae dominio inauguratorus. Eo pertinet illa sessio, ut ejus majestatem tum caelestes tum terrestres creaturae suspiciant, ejus manu regantur, ejus nutum intueantur, ejus virtuti subjectae sint. (Marc. 16:19; Hebr. 1:3; Eph. 1:20 caet.)

Fructus, quem inde capit fides, auctore Calvino, ad tria referri potest capita. Primum Dominus suo

(1) *Instit. Rel. Chr.* II. c. 16. § 14.

in caelum adscensu aditum regni caelestis, qui per Adamum praecclusus fuerat aperuit. Ex eo enim, quod in carne nostra nostro nomine eo ingressus est, sequitur „nos quodammodo in caelestibus jam in ipso considerare, utpote qui caelum non spe nuda exspectemus sed in capite nostro possideamus” (Eph. 2:5). — Deinde Christus coram facie Patris assiduus pro nobis adest patronus et intercessor, cuius oculos in suam justitiam ita convertit, ut eos a peccatis nostris avertat; ejusque animum ita nobis reconciliat, ut nobis sua intercessione viam et accessum ad ejus thronum aperiat, „Deum gratia et clementia replens, qui alioqui miseris peccatoribus plenus horroris futuras erat.” (Hebr. 7:25; 9:12; Rom. 8:34). — Denique in caelo Christus, transmissa inde ad nos sua virtute, nos in vitam spiritualem vivificat, spiritu suo sanctificat, variis gratiarum dotibus Ecclesiam suam ornat, et omnem in caelo et in terra potestatem tenebit, donec adversarios suos omnes prostraverit ac Ecclesiae suae aedificationem consummaverit (1).

Christi *reditum ad judicium* hoc modo sibi proponit Calvinus. Visibili forma Christus descendet, qualis adscendens visus est ac omnibus apparebit cum ineffabili regni sui majestate, cum immortalitatis fulgore, cum immensa divinitatis potentia, cum angelorum sa-

(1) *Instit. Rel. Chr.* II. c. 16. § 14, 15, 16.

tellitio. Illo die agnos segregabit ab hoedis, electos a reprobis: nec erit quisquam aut vivorum aut mortuorum, qui judicium ejus effugiet. Ab extremis enim orbis angulis exaudietur tubae clangor, quo ad illius tribunal arcessantur omnes tum ii, qui illo die superstites erunt, tum quos jam antea e vivorum consortio mors sustulerit (1).

Hinc egregia deducitur consolatio, quum penes eum de nobis sit judicium, qui nos sibi honoris consortes destinavit, neque igitur consensurus est tribunal in nostram condemnationem. Eum autem in finem Pater Filio judicium transtulit, ut ita conscientiis suorum terrore judicii trepidis consuleret (2).

§ III.

Quomodo ex Anselmi et Calvini sententia redemptio per Christum pertineat quoque ad illos, qui vixerunt ante Christum natum.

Vidimus supra (Part. I. cap. III) Anselmo iudice necesse esse, ut satisfactio fiat per aliquem fiat

(1) Act 1:11; Matth. 24:30; 25: 31; 1 Thess. 4:16.

(2) *Instit. Rel. Chr.* II. c. 16. § 17, 18. *Conf. Rom.* 8:33, 34, Joh. 5:22.

ad Adami genus pertinentem. Deinde nobis patuit (Part. II, cap. I, § 4.) Christum, ut Deo satisfacere posset, a peccato immunem esse debere, et Anselmum Bosoni roganti, quomodo e peccatoribus homo a peccato integer nasci possit, respondere: Christi matrem propter fidem futurae mortis filii, eadem illa morte a peccato fuisse mundatam. Hoc igitur loco de Christi opere agentibus nobis explicandum est, qua ratione illius mortis effectum etiam ad homines, qui vixerint ante Christum natum, Anselmus statuat pertinuisse.

Ut solet, ita etiam hoc loco rem a priori considerat: „Oportuit (inquit) utique, ut illa redemptio, quam Christus fecit, prodesset non solum iis, qui eo tempore fuerunt, sed et aliis” (1). Si rationem qua-

(1) *Cur Deus homo*, II. c. 16. Id hac comparatione Anselmus illustrare studet: «Sit rex aliquis, cui totus populus suae cuiusdam civitatis sic peccavit, excepto uno solo, qui tamen est de illorum genere, ut nullus eorum facere possit, unde mortis damnationem evadat; ille autem, qui solus est innoeens, tantam apud regem habeat gratiam ut possit et tantam dilectionem erga reos, ut velit omnes, qui credent suo consilio, reconciliare quodam servitio ipso regi valde placituro, quod facturus est die secundum voluntatem regis statuto. Et quoniam non omnes possunt, qui reconciliandi sunt, ad diem illam convenire; concedit rex propter magnitudinem servitii illius, ut quicunque vel ante vel post diem illam confessi fuerint se velle per illud opus, quod ea die fiet, veniam impetrare et ad pactum ibi constitutum accedere, ab omni culpa sint absoluti praeterita; et si contigerit, ut post hanc veniam iterum peccent, si digne satisfacere et corrigi deinceps voluerint, per ejusdem pacti efficaciam iterum veniam recipient, sic tamen ut nul-

eras, cur tanta vis in Christi morte fuisse debuerit, ut etiam in eos, qui vel loco vel tempore abessent, ejus extendatur effectus; duae afferuntur causae.— Primum contendit scholasticus non tot homines Christo morienti adesse potuisse, quot ad caelestis civitatis restauracionem sint necessarii; quin ad eam non suffecisset, Anselmo auctore, totus eorum numerus, qui illius mortis tempore in terra vivebant. Plures enim putat esse daemones, quam eo die viverent homines. Id argumentum recte concinere cum ceteris systematis partibus patet ex iis, quae antea diximus de numero angelorum imperfecto et de necessitate, qua Deus huic incommodo e peccato profecto occurrere debeat (Part. I c. I et II).

Alterum, quod affert argumentum, sic se habet: „Non (inquit) credendum est, ex quo factus est homo ullum tempus fuisse, quo mundus iste cum creaturis, quae factae sunt ad usus hominum sic vacans fuisset, ut nullus esset in illo ex humano genere ad hoc pertinens, propter quod factus est homo.” *Inconveniens* esse opinatur, quod Deus vel uno momento permiserit humanum genus frustra exstitisse; unde concluditur, ab Adamo inde semper aliquem reconciliationis per Christum fuisse participem. „Si enim convenientius

lus palatum ejus ingrediatur, donec factum sit hoc, unde culpae relaxentur.” Et paullo post: «nulla tamen anima ante mortem Christi paradisum coelestem ingredi potuit, sicut supra dixi de regis palatio.”

et rationabilius est hoc, quam aliquando nullum fuisse de quo intentio Dei, qua hominem fecit, perficeretur nec est aliquid, quod huic obviet rationi: necesse est semper aliquem ad praedictam reconciliationem pertinentem fuisse” (1).

Concedendum videtur hanc quoque ratiocinationem a ceteris Anselmi placitis haud alienam esse. Pariter autem haberi poterit „*inconveniens*,” unum hominem „frustra exstisset,” eodemque igitur jure aliquis concludet, omnes qui vixerant homines redemptionis per Christum esse participes.

Postquam hoc modo Anselmus demonstravit necessitatem, qua redemptio per Christum ad eos quoque, qui ante eum vixerint, pertineat, contendit ea redemptos fuisse Adamum et Evam. *Incredibile* ei videtur Deum illos omnium hominum, qui in coelestem civitatem assumerentur, parentes ab eo consilio exclusisse. „Virgo autem illa, de qua ille homo assumptus est, de quo loquimur, fuit de illis, qui ante nativitatem ejus per eum mundati sunt a peccatis, et in ejus ipsa munditia de illa assumptus est.” — Objectio Bononis, quod Christus hac ratione a matre munditiam accepisse videatur, quam a se ipso habere debeat, facile solvitur ab Anselmo: „non ita est; sed quoniam matris munditia, per quam mundus est, non fuit nisi

(1) *Cur Deus homo* II. c. 16.

ab illo, ipse quoque per se ipsum et a se mundus fuit” (1).

Tali domonstratione, qua probaret Christum a peccato fuisse immunem, licet a peccatorum genere originem duceret, non opus fuit Calvino statuenti Christum „a Spiritu esse sanctificatum, ut pura esset generatio et integra, qualis futura erat ante Adae lapsus.” Accedit, quod talis argumentandi ratio (a priori) prorsus a Calvini proposito abhorret. Videmus tamen eum de industria operam dare, ut Christum Veteris quoque Foederis esse Mediatorem ostendat, imo probet nullam Dei cognitionem sine Mediatore ad hominis salutem valuisse. Calvinus se hoc eo consilio agere confitetur, ut praedicationem crucis humiliter amplectatur, licet humano ingenio non respondeat. Ejus argumenta e C. S. petuntur.

Ex Christi dicto, quod invenitur Joh. 17:3, Calvinus efficit foediorem esse eorum socordiam, qui caelum profanis et incredulis quibuslibet aperiant. Sine reconciliatione nemo Deo placere potest; omnes, qui ab eo alienati sunt, maledicti pronuntiantur ac filii irae.

Neque Israelitis ergo nulla salus sine Mediatore adesse poterat. Quod ipsa eorum testatur historia, quum Deus veteri populo nunquam se propitium ostenderit nec

(1) *Ibidem.*

spem unquam fecerit absque Mediatore. „Omitto (Calvinus inquit) sacrificia Legis, quibus palam et aperte edocti fuerunt fideles, non alibi quam in expiatione, quae a solo Christo peracta est, quaerendam salutem esse. Hoc tantum dico beatum et felicem Ecclesiae statum semper in Christi persona fuisse fundatum. Nam etsi Deus totam Abrahac sobolem in foedere suo complexus est, prudenter tamen ratiocinatur Paulus Christum proprie esse semen illud, in quo benedicendae erant omnes gentes, quando scimus non omnes, qui secundum carnem ex eo geniti sunt, reputatos fuisse in semine.” (Ismael, Esau, alii). „Patet igitur salutem promissam non constare, donec ad Christum ventum fuerit, primamque electi populi adoptionem a gratia Mediatoris pendere.”

Nec dubium est, Calvino iudice, quin Pater caelestis in Davide ejusque posteris conspici voluerit vivam Christi imaginem. Id probare studet allatis tum ipsius Davidis, tum Prophetarum testimoniis, quibus salus in Christo cum Davide ejusque regno conjuncta proponitur (1). Ubi, populo in exilium abducto, vastata terra rebusque ut videbatur, perditis, Ecclesiae cladem luget Jeremias, praecipue regni interitu spem fidelibus praecisam esse queritur. „Christus (inquit), spiritus oris nostri captus est in peccatis nostris, cui diximus: in umbra tua vivemus inter gentes” (Thren. 4:20). Porro omnes

(1) Ps. 2:12; 1 Reg. 11:13, 34, 39, alibi.

fere Prophetae, ubi rebus afflictis solatium promittitur, maxime quando Ecclesiae liberatio describitur, fiduciae et spei vexillum in ipso Christo praefixerunt. Unde liquet, quum Deus sine Mediatore humano generi propitius esse non possit, Patribus etiam sub lege Christum semper fuisse objectum, ad quem fidem suam dirigerent.

Quamvis autem Christi tempore turpiter degenerassent Judaei, non tamen abolita erat memoria generalis principii: Deum per mortem Christi, sicuti Davidi pollicitus erat, Ecclesiae fore liberatorem atque hoc demum modo firmum fore gratuitum foedus, quo Deus electos suos adoptaverat. Unde populi illud: „Hosanna filio Davidis!” (Matth. 21: 9). Vulgo enim notum et celebre atque ex usu communipetitum fuisse appareat quod clamabant, unicum sibi restare misericordiae Dei pignus in adventu redemptoris. Idem Christus confirmat ubi ipse discipulos, ut distincte et perfecte credant Deo, in se credere jubebat, dicens: „creditis in Deum et in me credite!” (Joh. 14:1). „Etsi enim (Calvinus inquit) proprio loquendo a Christo fides ad Patrem condescendit, significat tamen eam, etiamsi Deo innititur, paullatim evanescere, nisi intercedat ipse medius, qui eam in solida firmitate retineat; alioqui altior quoque est Dei majestas, quam ut ad eam adscendant mortales, qui tamquam vermiculi super terram reptant” (1).

(1) *Instit. Rel. Chr.* II. c. 6. Conf. c. 7.

§ IV.

Anselmi et Calvini placita de Christi meritis.

Tandem nobis indagandus est locus *de Christi meritis*, quem scriptores nostri ambo tractaverunt. Neque ille minoris momenti habendus est in disquisitione doctrinae, quam uterque professus est. Quemadmodum enim in reliquis systematis partibus, sic etiam hac in re diversa eorum indoles nobis erit perspicua. Videamus igitur quid de Christi meritis statuant, et quid de eorum placitis judicandum sit totius utriusque doctrinae ratione habita.

Anselmus placitum de Christi meritis exponens („qua ratione de morte Christi sequatur humana salvatio“) hoc fere modo ratiocinatur: — maximum donum Christus moriendo Deo affert, idque spontanea voluntate; necesse est igitur „ut Pater Filio retribuat.“ Si non retribueret Deus, aut injuste ageret aut impotens esset habendus: haec vero a Deo aliena sunt. Qui retribuit alicui, aut dat quod is non habet, aut remittit quod ab illo exigi potest. Haec vero in Christum non convenient, quum omnia Patris et sua sint, nec unquam ipse aliquid debuerit, quod illi possit remitti. Deus igitur aliquid Christo retribuere debet, Christus vero nihil potest accipere. Necesse est autem ut aliquid reddatur, ne Filius „tan-

tam rem in vanum fecisse videatur;" idque ideo redditur aliis, quoniam Filius accipere non possit. Filio decernere licet, cuinam quod suum est dari debeat; Pater igitur reddere debet iis, quibus Filius dari voluerit. Et hoc modo, docente Anselmo, ad nos refertur meritum Christi, quum cogitari nequeat Filium „fructum et retributionem mortis suaे aliis attribuere quam illic, propter quos salvandos hominem se fecit." Hominibus morte sua exemplum dedit moriendi propter justitiam; at frustra ejus imitatores erunt, si meriti ejus non erunt participes. Denique justum est, ut homines, quippe Christi parentes et fratres, ejus fiant haeredes, ne diutius „tot et tantis debitis obligati in profundo miseriarum tabescant, sed ut iis dimittatur, quod pro peccatis debent, et detur quo propter peccatum carent" (1).

Hoc vero placitum de Christi meritis a tota Anselmi, quam expositimus, doctrina abhorret. Notio *meriti*, qualis hoc loco invenitur, prorsus opposita est illi *satisfactionis* notioni, quae adest in ceteris systematis partibus. Deus enim hominum peccato, ut supra vidi mus, honorem amiserat et prohibitus erat, quominus sua consilia perficeret. Satisfactio, qua ea incommoda tolli possunt et tolli debent, est „debiti solutio spontanea." Talis autem satisfactio, quae pro debito fiat, omne excludit meritum, quapropter falsa habenda

(1) *Cur Deus homo* II. c. 19.

est Anselmi sententia: Deum Christo pro dono suo spontaneo retributionem debere.

Nec requiritur placitum de Christi meritis, ut explicetur, „quomodo de Christi morte sequatur humana salvatio.” Quum enim satisfactione omnia incommoda e peccato profecta tollantur, eadem erit ratio inter Deum et hominem, quae adfuit ante peccatum. „Rationalis vero natura” (ipso Anselmo docente) „a Deo facta est justa ut illo fruendo beata esset; Deus hominem fecit justum ad aeternam beatitudinem.” Quid igitur, peccati effectis deletis, obstare potest, quominus homo beatus fiat? Meritum Christi in Anselmi doctrina prorsus abundat (1).

Ex eo autem, quod Anselmus locum de Christi meritis suae doctrinae adjungit, licet ab ea prorsus abhorreat, effici potest, eum ipsum obscure sensisse, quid impri-
mis in doctrina sua desideretur. Totum enim redem-
tionis opus non hominis sed Dei causa fieri statuit,
et demonstrat interna suae naturae necessitate mo-
tum esse Deum, ut incommoda e peccato profecta de-

(1) *Cur Deus homo* II. c. 1, 2. Recte Baur, *L. L.* p. 166
 « Da der Tod des Gottmenschen van Anfang an für keinen andern Zweck übernommen werden konnte, als den der Genugthuung, so muszte der Mensch, nachdem die oben genannten Bedingungen erfüllt waren, unter welchen er von der Schuld der Sünde befreit werden konnte, von selbst in sein natürliches Verhältnisz zu Gott wieder eintreten, welchem zufolge der Mensch als vernünftige Creatur dazu von Gott geschaffen ist, die seiner Gerechtigkeit entsprechende Seligkeit zu erhalten. »

leret. Inde Dei gratia erga hominem , licet eam pro viribus vindicare studeat Anselmus , nimis negligitur et minores tantum in redemtione partes agere potest. (Conf. supra Part. I cap. II) Considerandis Christi meritis aliquatenus id compensatur, quum Deus homini, Christo annuente, reddat beatitudinem.—Porro in auctoris nostri systemate homo non cum Deo, sed Deus secum ipso reconciliatur, sive potius Dei sanctitas et voluntas immutabilis cum ratione divina conciliantur, ut Deus salva ratione („convenienter, rationabiliter“) honorem suum servare et consilia sua perficere possit. In loco vero de Christi meritis ratio consideratur, qua homō a miseriis, quibus propter peccatum obrutus erat, salvetur. Idque Bosonem ita accepisse ejus docet exclamatio: „Nihil rationabilius, nihil dulcius, nihil desiderabilius mundus audire potest. Ego quippe tantam fiduciam ex hoc concipio, ut jam dicere non possum quanto gaudio exultet cor meum. Videtur enim mihi, quod nullum hominem rejiciat Dens ad se sub hoc nomine accendentem“ (1).

Anselmus autem non tantum non perspexit, hunc locum iis, quae antea statuisset, haud convenire, sed

(1) *Cur Deus homo* II. c. 19. Conf. Franck l. l. p. 207: „Je auffallender bisher der Mensch, den doch die Erlösung betreffen sollte, aus dem Spiele gelassen war, so dasz der ganze Verlauff rein zwischen dem Gottmensch und Gott statt fand, desto nothwendiger war es die Sache nun auch in eine nähere Beziehung zu dem Menschen selbst zu bringen.“

putat etiam se ita quaestionem: quomodo Dei justitia cum ejus misericordia conciliari possit, feliciter solvisse (1). In quibus eum errare, ex iis, quae modo exposuimus, luculenter patere videtur.

Ultimo loco nobis indagandum est, quid statuat Calvinus de Christi *meritis*, et quid de ejus doctrina judicandum sit.

Locum de Christi meritis Calvinus tractat in fine disputationis suae de cognitione Dei Redemptoris, ut „vice auctarii” solvat quaestionem: num placito de Christi meritis obscuretur Dei gratia? Id diserte negat et strenue gratiam Dei defendere conatur. Concedit si quis „simpliciter et per se” Christum opponere vellet judicio Dei, merito locum non fore, et cum Augustino (*de praedestinatione Sanctorum I. c. 15*) statuit, Dei

(1) Vide quod hac de re (*I. l. II. c. 20*) monet: «Misericordiam vero Dei, quae tibi perire videbatur, cum justitiam Dei et peccatum hominis considerabamus, tam magnam tamque concordem justitiae invenimus, ut nec major nec justior cogitari possit. Nempe quid misericordius intelligi valet, quam cum peccatori tormentis aeternis damnato, et unde se redimat non habenti Deus Pater dicit: *aceipe Unigenitum meum, et da pro te! et ipse Filius: tolle me et redime te!* Quasi enim hoc dicunt, quando nos ad christianam fidem vocant et trahunt. Quid etiam justius, quam ut ille, cui datur pretium majus omni debito, si debito datur effectu, dimitiat omne debitum? » —

praedestinationem et gratiam causas esse, cur homo Jesus Christus hominum possit esse salvator, eumque nullis praecedentibus meritis sibi comparasse, ut salvatoris munere fungeretur. Imo eadem Dei gratia ille homo factus est Christus, qua quisque ab initio fidei suae fit Christianus.

„Quum ergo de Christi merito agitur, non statuitur in eo principium, sed concendimus ad Dei ordinacionem, quae prima causa est, quia mero beneplacito Mediatorem statuit, qui nobis salutem acquireret. Atque ita inscite opponitur Christi meritum misericordiae Dei. Regula enim vulgaris est, quae subalterna sunt non pugnare; ideoque nihil obstat quominus gratuita sit hominum justificatio ex mera Dei misericordia, et simul interveniat Christi meritum, quod Dei misericordiae subjicitur. — Christus nonnisi ex Dei beneplacito quidquam mereri potuit: sed quia ad hoc destinatus erat, ut iram Dei sacrificio suo placaret, suaque obedientia deleret transgressiones nostras” (1).

Concedendum sane est, hac argumentatione gratiam Dei integrum manere; sed quanam, queso, *meriti* illius est ratio? Facile appareat aliam hujus esse notionem apud Calvinum, aliam apud Anselmum. Anselmus enim agit de retributione, quam Christus a Patre meritus sit, quamque Deus, si injustus haberit nolit, reddere debeat; Calvinus autem contendit, Christum nonnisi ex Dei beneplacito quidquam mereri potuisse.

(1) *Instit. Rel. Chr.* II. c. I7 § 1.

Non quidem accurate *meriti* notionem Calvinus definit, sed quaedam tamen adsunt, ex quibus efficere licet, quid velit. Dicit enim: „Si pro peccatis nostris Christus satisfecit, si poenam nobis debitam persolvit, si obedientia sua Deum placavit, denique si justus pro injustis passus est, justitiâ ejus parta nobis est salus, quod tantundem valet ac promereri.” Et porro: „quum dicimus Christi *merito* partam nobis esse gratiam, hoc intelligimus, sanguine ejus nos fuisse mundatos, et ejus mortem expiationem fuisse pro peccatis” (1).

Vides Calvinum Christi merito unice *satisfactionem* suam intelligere et non observare, satisfactionem et meritum, ut modo diximus, se invicem excludere. Si vero „meritum” hac significatione intelligitur, id non cum reliquis Calvini placitis pugnare, sed cum iis plane convenire perspicuum est. Quum vero Calvinus notionem *meriti* non admisisse videatur, vocabulum ei rejiciendum fuisset, ne quis vulgari vocabuli significatione deceptus notionem ei tribuat ab auctoris systemate alienam.

(1) *Instit. Rel. Chr.* II. c. 17 § 3 et 4.

CONCLUSIO.

Singulis, quae de hominum a peccato per Christum redemtione Anselmus et Calvinus docuerunt, accuratis inter se comparatis, tandem omnia breviter ita nobis comprehendenda sunt, ut discriminem, quod inter utrumque scriptorem in hoc argumento demonstrando intercedat, quantum fieri potest, uno intuitu ob oculos ponamus.

Quod ut recte peragamus, eorum quae supra in introductione de studiis scholasticis et reformatoriis monuimus ratione habita, hoc loco animadvertisimus in Anselmi demonstratione *finem*, quem sibi proponit, primarium occupare locum, a quo et *methodi*, quam secutus est, et *fontium*, e quibus hausit, pendet ratio; apud Calvinum vero et *methodum* et *finem* definiri per *fontem*, e quo eum sua placita petuisse constat.
— De singulis singulatim videamus.

Anselmus ad libros laudatos scribendos excitaba-

tur a pluribus sive discipulis sive amicis, qui de rebus divinis saepius eum colloquenter audiverant. Rogabant eum, ut chartae commendaret „rationes fidei, quas ipsi legentes delectentur intellectu et contemplatione eorum quae credunt, et sint, quantum possunt, parati semper ad satisfactionem omni poscenti se rationem de ea, quae iis inest, spe.” *Finem* propterea maxime *apologeticum* sibi proponit Anselmus, eumque talem, ut fidem Christianam defendat contra „infideles simplicitatem Christianam quasi fatuam deridentes” (1). Objicere solebant hi fidelibus argumenta hujus generis: „Deo fit injuria, si asseritur in uterum mulieris descendisse, natum esse de foemina, famem, sitim imo mortem subiisse” (2). Deus porro, iis judicibus, suo sanguine hominem redimens aut impotens est habendus, qui solo jussu id peragere non possit, aut insipiens, quippe qui ob ea, quae facile peragere possit, gravem laborem sustineat (3). Denique Deum reprehendendum esse censem propterea, quod justum pro injusto damnaverit et Christum ad diram mortem subeundam coegerit (4).

Variae hujus generis objectiones ansam praebuerunt Bosoni, ut ab Anselmo petat explicationem: „qua

(1) *Cur Deus homo*, I. c. 1.

(2) *Ibidem*, c. 3.

(3) *Ibidem*, c. 6.

(4) *Ibidem*, c. 8.

necessitate et ratione Deus, cum sit omnipotens, humilitatem et infirmitatem humanae naturae pro ejus restaurazione assumserit” (1)? Anselmus primum respondet quidem: „quod quaeris a me supra me est;” mox vero instante Bosone se id „pro sua possibilitate tentaturum esse” asserit.

Anselmum, disquisitionem de *necessitate et ratione*, quibus Deus, humanam naturam assumens, hominem redemerit, captum suum superare recte censuisse, nemo negabit, qui humanae imbecillitatis ad divinam naturam perspiciendam conscient est. Tandem vero rem nimis difficultem suscipiens eo quoque errat, quod Bosoni concedit, unum idemque quaerere eos, qui rationem quaerant quia credant, et eos qui nullo modo ad fidem sine ratione velint accedere (2). In hisce enim valere videtur illud: „duo cum faciunt idem, non est idem;” et Anselmus, sophisma Bosonis non oppugnans, cogitandi rationem eorum, qui credunt ut intelligent, et eorum, qui intelligere volunt ut credant, non distinguit, atque adeo ad doctrinam Christianam defendendam perversa utitur *methodo*.

Operae pretium est animadvertere, quomodo, quod ad *methodum* attinet, in libris laudatis Anselmus a principiis aberret, quae ipsum sibi posuisse supra in-

(1) *Ibidem*, c. 2.

(2) *Ibidem*.

introductione monuimus. Contendebat enim (1): „non quaero intelligere ut credam, sed credo ut intelligam; nam et hoc credo, quia nisi credidero non intelligam.” Et porro: „qui non crediderit non intelliget; nam qui non crediderit non experietur, et qui non expertus fuerit non intelliget.” Haec, si quidem idoneum sensum praebebunt, nihil significare possunt nisi: per experientiam ad intellectum accedendum esse, et neminem contemplando tantum et philosophando, sed ipsa demum experientia duce intelligere posse. Quid vero Anselmus in libris nostris sibi proponit? Non ex experientia sua petit argumenta, sed omnem religionis Christianae experientiam negasse videtur, quum contendat, se in libris suis rem egiisse „remoto Christo, ac si nunquam aliquid fuerit de illo” (2); suamque argumentationem, quippe „sola ratione nitentem Judaeis quoque et Paganis satisfacturam esse” (3). Talis demonstrandi ratio cuivis liceret *per intellectum ad fidem* accedenti, non vero Anselmo, cuius est symbolum: *credo, ut intelligam.* Eum igitur in indaganda quaestione „Cur Deus homo?” huic symbolo repugnare, tota nostra, ni fallimur, docet disquisitio.

Hanc vero perversam demonstrandi methodum inde maxime explicandam esse censeo, quod Anselmus demonstrationem *necessitatis*, qua Deus humanam naturam

(1) Conf. *supra in introductione* p. 5 et 6.

(2) *Cur Deus homo* in praefatione.

(3) *Ibidem*, Lib. II. c. 22.

assumserit, *finem* sibi proponat. Talis enim demonstratio omnibus argumentis historicis missis non aprioristica se habere non potest. Historia enim duce inquirendum esset, utrum Deus hominis naturam assumserit necne; disquisitio vero, quac necessitatem quandam sibi demonstrandam sumit, argumentis aprioristicis nitatur necesse est. — Anselmus porro non considerat, ingenium nostrum peccato depravatum a recta nimis aberrasse via, et insuper arctioribus finibus circumscribi ac impediri, quominus res divinas solius rationis ope recte intelligamus (1). Praestat igitur cum Calvinio fateri: „praedicationem crucis humano ingenio non respondere” (2), quam cum Anselmo operam dare, ut eam aprioristica demonstratione „rationabilem” esse comprobemus.

Omnis autem demonstratio, licet aprioristica sit habenda, aliquo niti debet fundamento; et *fonte* eget, e quo hauriantur hypotheses, quibus tota nitatur argumentatio. Non mirum igitur Anselmum quoque argumentationis fundamentum quaesivisse. Initio quidem phantasiae indulgens ostendere conatur „convenienter procuratam esse humanam restorationem.” „Oportebat (inquit) ut sicut per hominis inobedientiam mors in humanum genus intraverat, ita per hominis obe-

(1) Conf. S. Karsten, *Oratio de cautione adhibenda in veritatis indagatione*. Trajecti ad Rhenum. 1847.

(2) *Instit. Rel. Chr.* II. c. 6, § 1.

dientiam vita restitueretur. Et quemadmodum peccatum, quod fuit causa nostrae damnationis, initium habuit a foemina, sic nostrae justitiae et salutis auctor nasceretur de foemina; et ut diabolus, qui per gustum ligni, quem persuasit hominem vicerat, ita per passionem ligni, quam intulit, ab homine vinceretur” (1). Boso vero has „picturas” non sufficere recte censem, „nisi adsit aliquid solidum, super quod sedeant.” Alii igitur demonstrationis fontes Anselmo quaerendi erant, „ne eum quasi super nubem pingere infideles existiment.”

E tota Anselmi argumentatione, de qua supra egimus, abunde patet, eum nullo usum esse fonte, cuius auctoritate tota doctrina nitatur (2), sed undique argumenta esse correpta, prouti *finis* demonstracionis id requirere videretur. Vera et falsa ubivis permixta sunt. Singula breviter repetamus.

Doctrinae primum ponit fundamentum: Deo honorem suum a peccatore ablatum esse. Quo jure id contendat, ipse non indicat, neque Bosonis objectiones refutat auctoritate suam fulciendo sententiam, sed subtilissima distinctione frustra rem expedire conatur. (vide supra p. 21 sq.). Deinde, ut probet Dei consilia per peccatum

(1) *Cur Deus homo* I. c. 3.

(2) Notatu digna sunt verba *L an f r a n c i*, quae, lecto *A n s e l m i Monologio*, eum ad hunc scripsisse constat (*Epp. Lib. I*: 63). Suadet ille discipulo suo: «in statera mentis solertius appendere, et cum eruditis in sacris codicibus conferre, et, ubi ratio deficit, divinis auctoritatibus accingere.”

irrita esse facta, exponit futilem istam de angelorum numero computationem, quam eum partim ab Augustino desumssisse, partim ipsum excogitasse supra notavimus (p. 27). Denique monet Deum peccato impeditum esse, quominus hominem secundum consilium suum beatum reddat. (p. 29). Hoc argumentum e S.S. desumssisse videtur, quam tamen tamquam fontem suum non indicat.

Porro in iis, quae contendit de causis, ob quas Deus incommodis e peccato profectis occurrat, pariter nimis ingenio suo indulget scholasticus. Solius Dei justitiae et dignitatis rationem habens, *necessitatem* quandam urget, idque provocando ad sensum religiosum, cui justitiae et dignitatis divinae notiones optime convenient. Dei vero misericordiam prorsus negligit, licet haec quoque notio sensui religioso maxime sit accommodata (1) (p. 39 sq.). Hinc Anselmus in systemate suo neque remissionem peccatorum admittit, nec poenam a Deo peccatori infligendam, quippe quae Deo non convenia cotnsilia sua peragere volenti; quapropter nihil restare nisi satisfactionem, facile concluditur (p. 54 sq.). Haec vero conclusio satis defendi nequit, quum Anselmus totius suae doctrinae principiis idoneum fundamentum submiserit nullum.

Eodem vitio laborat disquisitio de modo satisfactio-

(1) In libris «*Cur Deus homo?*» (II. c. 20) Anselmus magnifice landat misericordiam Dei. Id vero cum auctoris systemate non cohaerere supra jam indicavimus p. 134 sq.

nis, quae a Deo requiritur. Anselmus ut ostendat eam infinitam esse debere, singula peccata esse infinita probare studet provocando denuo ad sensum religiosum; deinde ut concludat, Deo plus reddendum esse, quam peccato ei sit ablatum, eum assimilat regibus humanis, qui medio imprimis aeo, exigere solebant non solum ut offensores redderent, quod abstulissent, sed insuper etiam ut aliquid adderent pro contumelia illata. (p. 58 sq.). Id vero denuo omni fundamento carere perspicuum est.

Tota argumentatio de „Deo homine” ad satisfactionem necessario partim iisdem argumentis nititur, quibus satisfactionis necessitatem frustra fulcire conatus est, partim hypothesibus, quae contra objectiones a Bosone allatas satis defendi haud possunt. Sufficit h. l. ea in memoriam revocare, quae supra (p. 102 sq.) diximus de morte, quam ex Anselmi sententia Christus „non exigente erga Patrem obedientia” subire debeat. In quibus eatenus quoque reprehendendum esse censemus scholasticum, quatenus ex ipsa Ecclesiae doctrina, cuius veritatem a priori probandum suscepit, sua desumit argumenta, e. g. dogma de operibus superrogatoriis. (p. 109.). Eadem apud eum adest petitio principii ratione habita C. S., cuius per omnem argumentationem passim inveniuntur vestigia, et cuius veritatem se solius rationis ope probavisse jactat (1).

(1) *Cur Deus homo* II. c. 22.

Denique Anselmus, variis utens *fontibus* et undique argumenta sua corripiens, non assequitur *finem* suum *apologeticum*. Si enim cui de hujus illiusve rei veritate persuadere velis, argumenta tua petenda erunt ex iis, quae adversarius vera esse agnoverit. Quid vero Anselmus?.... Doctrinam Christianam defensurus contra „simplicitatem Christianam quasi fatuam deridentes,” argumenta tamen petit ex hypothesibus, quarum nullam indicat auctoritatem, quapropter nihil impedit, quominus illae quoque hypotheses negentur et deridentur, atque adeo tota demonstratio collabatur.

Postremo animadvertisendum est, ex objectionibus, quas Boso contra Anselmum in libris laudatis adduxerit, infirmitatem totius systematis jam satis patere; ideoque ex ipso, quod consideravimus, Anselmi opere sagaciorem quemque augurare potuisse: Scholasticum, „rationabiliter” conditum, ejusdem rationis ope aliquando eversum iri.

Ab Anselmo ad Calvinum transeuntes facile animadvertisimus, utriusque scriptoris placita longissime a se invicem distare. Ex iis enim, quae supra disputavimus, sponte jam patet, in Calvini demonstrandi modo explicando contraria agendum esse ratione atque apud Anselmum. Calvinus enim non eligit fontem et

methodum, ut finem quendam propositum assequatur, sed methodus et finis apud eum prorsus pendent a fonte.

Supra (p. 14) vidimus, Reformatorem *fontem* sibi posuisse Scripturam Sacram, unde totam suam doctrinam hauriat; cumque in rebus divinis hominum et ipsius adeo ecclesiae auctoritatem contemnere. „Ut (inquit) ad Deum creatorem quis perveniat opus est Scriptura duce et magistra, quae liquido nobis verum Deum ostendit” (1). Scripturae autem auctoritatem probare studet, primum ostendendo eam Sp. S. nisi testimonio, deinde sua argumenta petendo ex ipsius S. S. indole, et denique ex historia ecclesiastica, quae docet Scripturam semper doctrinae Christianae fontem habitam esse (2). His igitur fundamentis positis ad Scripturae doctrinam exponendam procedit.

Quemadmodum Calvinus in *methodo*, quam sequitur, nullum philosophiae locum concedit, (quod supra p. 14 et 15 jam indicavimus) ita eum usum esse methodo *historica*, nemo mirari potest. Indoles enim S. S. est *historica*, neque in ea sistema dogmaticum exponitur, sed omnia, quae de rebus divinis tradit, cum factis historicis arcte cohaerent. E tota nostra disquisitione patet, Calvinum in hominis per Christum a peccato

(1) *Instit. Rel. Chr.* I. c. 6.

(2) *Ibidem*, c. 7 et 8.

redemptione enarranda historice procedere. Peccatum ejusque incommoda definit ratione habita ipsius Adami, primi peccatoris, atque eorum quae de peccati sequelis in S. C. dicuntur. (p. 32 sq.). Deinde causam, cur Deus incommodis ex peccato profectis occurrat, praesertim Dei misericordiam esse censem, haud neglecta tamen ejusdem justitia; quae singula denuo S. C. testimentiis probat (p. 47 sq.). Quod ad modum redemtionis attinet, recte statuit, dissidium inter Deum et hominem tollendum esse (1). Porro in Christi persona describenda historiam denuo ducem sequitur, nec (quemadmodum Anselmus) ea exponit, quae ad finem quendam assequendum inserviant, sed omnia enarrat, quae de hoc arguento Codex S. continere ipse videtur. Eodem modo rem agit in Christi opere describendo, ubi non tantum ad Christi mortem (prouti Anselmus), sed ad totam, quam praestitit Christus, obedientiam provocat, et cum Christi mortem, tum singula, quae mortem illam secuta sunt, accuratius considerat. Denique hominis per Christum redemtionem ad Vetus quoque Testamentum pertinere, non (quemadmodum Anselmus) aprioristice, sed *historice* probare conatur.

(1) Calvinum vero sibi non constare, quum in demonstranda redemtionis per Θεόν θεωπον necessitate, S. C. non afferat effata, sed scholasticorum potius ratione id probare conetur, supra indicavimus p. 70. —

Finem, quem sibi proponit Calvinus, per totam disquisitionem nostram *practicum* esse vidimus, idque denuo pendet a *fonte*, e quo sua hausit placita. Codex enim Sacer liber est *practicus nat^r ἐξογήν*, in quo omnia exponuntur, quae necessaria sunt ad cognoscendum, *et* quales per peccatum facti sint homines, *et* quales fieri debeant, *et* modulus quo tales eos fieri oporteat. Nullum fere e S. S. Calvinus desumit placitum, quin eadem scriptura duce practica addat monita. Peccati notio statim ad hominem refertur, in causa redemptionis consideranda spectatur Dei erga hominem clementia. Christi persona ita proponitur, ut ad eum venerandum et diligendum adducamur; et totum Christi opus nostrae adaptatur justificationi et sanctificationi.

Totam salutem nostram in Christo reperiiri his verbis Calvinus monet: „Si salus quaeritur, ipso nomine Jesu docemur penes eum esse: si Spiritus alia quaelibet dona in ejus unctione reperiuntur (vide supra p. 96 sq.): si fortitudo, in ejus dominio (p. 93 sq.): si puritas, in ejus conceptione (p. 86): si indulgentia, in ejus nativitate se profert, qua factus est nobis per omnia similis, ut condolescere disceret (p. 79): si redemptio, in ejus passione (p. 112): si absolutio, in ejus damnatione (p. 113): si maledictionis remissio, in ejus cruce (p. 114): si satisfactio, in ejus sacrificio (p. 112), si purgatio in ejus sanguine (p. 114): si reconciliatio: in descensu ad inferos (p. 115 sq.): si mortificatio carnis,

in ejus sepulchro (p. 119): si vitae novitas, in ejus resurrectione (p. 120): si immortalitas, in eâdem (p. 121): si haereditas regni caelestis, in caeli ingressu (p. 121 sq.): si praesidium, si securitas, si bonorum omnium copia et facultas in ejus regno (p. 122 sq.): secura judicii expectatio, in potestate judicandi illi tradita." (p. 123 sq.).

Huic autem consilio pratico Calvinus *finem apologeticum* adjungit. Veram S. C. doctrinam locis e Scriptura allatis defendere conatur contra singulos haereticos; maxime vero animadvertisendum est, totum ejus opus apologiae inservire (1). Et recte quidem Calvinus S. Codicem defendit ejus argumento exponendo; Scripturae enim pretium maxime elucescit, ubi ostendunt apologetac, eam hominem docere ea, quae de rebus divinis aliunde cognosci non possint, et talem homini afferre consolationem, qualis aliunde frustra quaeri soleat, eundemque optima et firmissima spe recreandum curare.

Quibus cunctis consideratis facile concludimus, Anselmi principium „*credo ut intelligam*,” a quo ipse non stetit scholasticus, Calvinum secutum esse, experientiâ et historiâ (quae recte experientia rerum præteritarum dicitur) ducibus procedentem ad rerum divinarum intellectum. Nec minus tota nostra disqui-

(1) Conf. ea, quae supra de operis consilio monuimus p. 19.—

sitio probare videtur, eos a vero quam maxime aber-
rare, qui Calvinum in placitis *de hominis per Christum a peccato redemtione* Anselmianam censeant
referre doctrinam. Uterque enim scriptor in hoc ar-
gumento explicando sui aevi indolem plane retulit,
ipsaque historia luculenter docet scholasticorum stu-
dia a studiis reformatorum toto coelo fuisse remota.

the first time, and again at this stage
the family idea of making up one's life from
one's own efforts is still dominant, and it is
not until much later that the traditional values of
the family begin to come into play again.
The traditional family idea of making up one's life
from one's own efforts is still dominant, and it is
not until much later that the traditional values of
the family begin to come into play again.
The traditional family idea of making up one's life
from one's own efforts is still dominant, and it is
not until much later that the traditional values of
the family begin to come into play again.
The traditional family idea of making up one's life
from one's own efforts is still dominant, and it is
not until much later that the traditional values of
the family begin to come into play again.
The traditional family idea of making up one's life
from one's own efforts is still dominant, and it is
not until much later that the traditional values of
the family begin to come into play again.

THESES.

I.

Reconciliatio inter Deum et hominem in omnibus religionibus praecipuum tenet locum.

II.

Scholasticos, licet in multis erraverint, vel sic tamen ad excitandum medio aevo veri studium in rebus theologicis egregie valuisse contendimus.

III.

Anselmus, disquisitione in libris „*Cur Deus homo*“ instituta, „*quasi nunquam aliquid fuerit de Christo,*“ repugnat principio suo: „*credo ut intelligam, nam et hoc credo, quia nisi credidero non intelligam.*“

IV.

Non assentior anonymo in Hengstenbergii diario (*Evang. Kirchenzeitung* 1834 p. 13) dicenti: „*Der Gedanke an ein Quantum von Sünde, dem dann ein gleiches Quantum von Strafe gegenüberstehe, ist dem Anselm wenigstens ganz fremd.*“

V.

Anselmi argumentum ontologicum pro existentia
Dei jam satis a Gaunilone refutatum est.

VI.

Iis, quae venerab. P. Henrij (*Leben Johann Calvins* I. p. 470) de Calvinio judicat: „*Sein Leben ging nicht aus dem Gedanken, der Reflexion, sondern aus dem Geiste der Wahrheit hervor;*” praecipuum inesse causam censemus, cur Anselmi et Calvini placita de hominum per Christum redemtione inter se differant.

VII.

Minus recte de Calvinio contendit Beza (P. Henrij, l. l. p. 134): „*in doctrina, quam initio tradidit, ad extremum constans nihil prorsus immutavit.*”

VIII.

Verba viri venerab. A. Monod (*Le Plan de Dieu* p. 11): „*pàr un mystère, que nous ne saurons jamais ici-bas pénétrer jusqu' au fond, l'action humaine a son libre jeu dans le vaste sein de la volonté divine, qui l'isole, et si j'ose ainsi dire, la respecte, tout en la contrôlant,*” ita divinae et humanae voluntatis rationem indicant, ut si ab ea recedas, aut ad atheismum, aut ad quietismum vergaris necesse sit.

IX.

Quietismus per pantheismum dicit ad atheismum.

X.

Merito in disciplinis theologicis suis vindicatur locus theologiae naturali. A theologia dogmatica est distinguenda, non sejungenda.

XI.

Licet divisio, qua officia erga Deum, erga proximum et erga nosmet ipsos distinguntur, nonnullis nominibus se minus commendet; vel sic tamen ea in ethicâ Christianâ retinenda videtur, quippe quae vitae practicae maxime sit accommodata. Neque hanc divisionem Christi verbis, quae leguntur *Matth. XXII:36—40*, adversari censeo.

XII.

Difficultas, quod apud Jesaiam (II: 2—4) et apud Micham (IV: 1—4) idem invenitur vaticinium, iisdem fere verbis enunciatum, optime explanari videatur, si statuimus utrumque prophetam diverso tempore idem visum habuisse; Jesaiam vero id scripto mandantem ea verba e memoria citasse, quae apud Micham antea legisset.

XIII.

Gal. II:5 in textu retinenda sunt verba *οἴς οὐδὲ*.

XIV.

Act. II:1 vocabulo *πάντες* soli intelliguntur Apostoli.

XV.

Non assentior clar. Bretschneider, quae leguntur
1 Cor. XV:34 vocabula μῆ ἀμαρτάνετε vertenti: „cavete ne
in errorem abducamini.” (*Lexicon N.T. in voce ἀμαρτάνω.*)

XVI.

Quodsi in ecclesia Reformata qualicunque de rebus
sanctis doctrinae locus conceditur, tollitur ecclesiae
notio; si vero ecclesiae doctrina ad proavorum tantum
placita exigitur, deletur reformationis notio et omnis
progressio ad veritatem prohibetur. Inquirendum est
igitur, quatenus locus adesse possit reformationi doc-
trinae, salvo ecclesiae vinculo.

XVII.

Gravissimo errore obnoxii sunt, qui putant, eloquen-
tiae externae q. d. ope compensari posse vitia, quibus
suae orationes sacrae laborent. Recte enim quis
eloqui non potest, quod aut male cogitatum, aut
male expositum est.

XVIII.

Vere clar. Schenkel: (*Wesen des Protestantismus*
I. p. 1) „Es ist einseitig und unrichtig darüber zu strei-
ten, ob die Religion im Erkenntniszvermögen (Verstand),
im Gefühle (Herzen), im Begehrungsvermögen (Willen)
Wurzel und Sitz habe. Eben darum weil sie das mensch-
liche Gesamtbewußtsein umfasst, ist sie die Central-
sonne und nicht blos ein einzelner durchscheinender Strahl
im Wesen des Menschen.”
